

[1H/772R] Hieronymi Wolfii Oetingensis, Rhaeti,  
ad clariss[imum] virum, optimeque et de se et de rep[ublica] lit[eraria] merentem<sup>1</sup>  
Io[annem] Oporinum Basiliensem,  
commentariolus,  
coeptus quidem scribi anno 1564 sed aliquot annis post demum<sup>2</sup> absolutus,  
de vitae suae ratione, ac potius fortuna.

[I,1] Memini, Oporine humanissime: cum Norimberga Basileam, in belli Germanici calamitatibus, annis abhinc 17 venissem: te dicere mihi, nescio quas de me quorundam suspiciones et sermones sparsos: qui<sup>3</sup> a prudentissima et ingeniosis fauente republica non temere fuerim dimittendus, nisi ὅπουλόν τι subasset rebus meis. Quae me oratio recenti adhuc memoria calamitatis illius, ita commouit: vt primo quoque tempore amplissimi senatus honestissimo testimonio, quod membranis inscriptum et obsignatum, ipse cum aliis multis vidisti, ora maledicorum et suspicacium hominum obturarem. Neque vero verbis tantum innocentiam et industriam meam, grauissimus ille ordo testatus est: sed eodem anno primam lucubrationem Isocraticae conuersionis meae, quamquam minus exopolitae, quam vellem, 100 Ioachimicorum magnifico honorario est remuneratus: vt pudere eos debeat iniquissimae obtrectationis, qui non dubitant Fortunam (vt poëta ait,) in probri commemorare loco. [2] Tu vero pro tuo mei amore, his non contentus, illud etiam postulabas, quum me, ob crebras valetudinis offensiones, ὀλιγοχρόνιον, vt et ipsem, fore putas, vt Libanium Rhetorem, quem tu mihi primus, ante non visum legendum dederas, imitatus, vitam meam ipse describerem: ne (vt fieri solet) me mortuo aliquis<sup>4</sup> rerum mearum [773R] ignarus, et fortasse parum candidus, mihiique inuidus et obtrectandi cupidus, e vagis et non consentientibus sermonibus centones sarciret: infusoque nigrae lolliginis succo funiculum ex arena consereret,<sup>5</sup> non sine iniuria nominis et manium meorum. [3] Id ego tum, cum neque receperissem neque recusassem: in hoc vsque tempus κλιμακτήρων ἐνεστώτων, ὡς φασιν<sup>6</sup> οἱ περὶ τὰ ἄστρα δεινοί, prorogau. Ac verum vt fatear, haec ipsa nunc scribo, ἐκών μὲν, ἀέκοντι δὲ θυμῷ: volens, ob eam causam, quam tu afferebas: inuitus, non tam<sup>7</sup> propter ea, quae ad Luceium scribens Cicero recenset (neque enim ego Catilinam vltus sum, neque Hortensium aut

<sup>1</sup> literaria merentem] literarum meritum Reiske.

<sup>2</sup> post demum] postmodum Reiske.

<sup>3</sup> qui] quod Reiske.

<sup>4</sup> aliquis von Reiske ausgelassen.

<sup>5</sup> consereret Reiske: contereret H.

<sup>6</sup> φασιν Reiske: φασειν H.

<sup>7</sup> tam] tantum Reiske.

alios aemulatus) quam propter humilitatem fortunae, et rerum mearum omnium tenuitatem. [4] Sunt enim qui et Diogenem Laert[ium] et Suetonium derideant, quod ille Philosophorum, hic etiam Grammaticorum vitam<sup>1</sup> descripscerit. Nec melius de Eunapio, Philostrato,<sup>2</sup> Dionysio, qui oratores et sophistas, et de iis qui<sup>3</sup> poëtas celebrazere, sentiunt: derisuri, vt opinor, (nisi crimen impietatis timerent,) eos etiam, qui patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, aut aliorum, qui doctrina excelluerunt, acta persecuti sunt: ea nimurum imbuti opinione, indignos esse posteritatis memoria omnes eos, qui tametsi optimi et sapientissimi viri fuerint,<sup>4</sup> opum et dignitatum<sup>5</sup> splendore caruerunt. Oi βάρβαροι γὰρ ἄνδρας ἡγοῦνται μόνον, τοὺς πλεῖστα δυναμένους καταφαγεῖν τε καὶ πιεῖν. Quid enim aliud agunt [2H] Pyrrhi, Hannibales,<sup>6</sup> Alexandri, non tam magni et inuicti, quam iniusti et violenti, nisi vt quam plurimos absorbeant atque deuorent? Quos prae se contemnere viros bonos quis miretur: cum et regibus victis tanquam mancipiis, insultent? [5] Eos autem, qui nihilo nobis nobiliores, ingenio autore e<sup>7</sup> mendicitatis sordibus per artes for[774R]tasse non optimas, adulationem, sophisticam, στρεψοδικοπανουργίαν<sup>8</sup> emerserunt, nostrae humiliati insultare, iniquiore ferendum esset animo, nisi constaret, perpaucos illud Ausonii sibi subiicere:

Fortunam reuerenter habe, quicunque repente

Diues ab exili progrediere loco.

Qui et mihi obiicere queant τὸ<sup>9</sup> λάθε βιώσας.<sup>10</sup> Quod vtinam mihi licisset. Quanto enim fuisse et quietior et beatior? τὸ κάλλιστον τῶν κτημάτων (κατὰ Σωκράτην φάναι) τὴν σχολὴν περιποιησάμενος καὶ τὴν<sup>11</sup> μετ' εὐμουσίας. [6] Etsi autem<sup>12</sup> praecclare scio, me nequaquam eum esse vel familiae dignitate, vel splendore fortunae, vel ingenii doctrinæque praestantia, cuius nomen ab vlo celebretur: tamen (verum vt fatear) delectatus sum tuo siue studio siue de me iudicio, qui me quoque inter eos numerandum censueris, qui reip[ublicae] lit[erariae] ornameto esse videantur. Quare non grauatum morem geram voluntati tuae. [7] Quia enim nescio quo fato in publicum totius Europæ theatrum pertractus<sup>13</sup> sum (neque enim vllam nominis Christiani prouinciam esse reor, cui meum nomen te duce atque autore sit ignotum) ea maxime quae ad studiorum rationem attinent (ob haec enim de me quaerent, qui fuerim, si qui forte quaerent,)

<sup>1</sup> vitam] vitas *Reiske*.

<sup>2</sup> Philostrato] Philostratis *Reiske*.

<sup>3</sup> de iis qui] denique *Reiske*.

<sup>4</sup> fuerint korrigiert aus fuerunt (oder fuerant) *H*.

<sup>5</sup> dignitatum] dignitatis *Reiske*.

<sup>6</sup> Hannibales,] Hannibales et *Reiske*.

<sup>7</sup> e] et *Reiske*.

<sup>8</sup> στρεψοδικοπανουργίαν *Reiske*: στρεψοδικπανουργίαν *H*.

<sup>9</sup> τὸ *Reiske*: τα *H*.

<sup>10</sup> βιώσας *Reiske*: βιόσας *H*.

<sup>11</sup> τὴν] τῶν *H*, *Reiske*.

<sup>12</sup> autem] enim *Reiske*.

<sup>13</sup> pertractus] protractus *Reiske*.

quantum pueritiae recordari memoriam<sup>1</sup> vltimam potero, vere et sine fuco exponam: quae eo fide digniora erunt, quod plura fore praeuideo, quae et aequiores misereantur, et nasuti rideant, quam quae vtrique admirantur. Caetera propter seriem narrationis obiter atque breuiter attingam.

[III,1] Quod igitur ad maiores meos attinet, qualescunque illi fuerint, non magnopere nostra interesse puto: quum te quoque sciam, ingenio magis, eruditione, industria, Herculea laborum tolerantia et magnitudine animi fretum esse, quam auo Argentoratensi consule, gloriari.

Nam genus et proauros et quae non fecimus [775R] ipsi,  
Vix ea nostra puto. Sed enim quia rettulit Ajax  
Esse Iouis pronepos: et mi genus ab Ioue summo est.  
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἔσμεν.

Sed quia<sup>2</sup> verissime Plato scripsit, ne subulcum quidem esse vllum, quin (si vltima spectetur origo) multos suae stirpis autores principes viros proferre possit, et qui nunc regnent, a subulcis esse oriundos, (nam hae sunt rerum humanarum vices) ad propiora veniendum est. [2] Pater mihi fuit Georgius Wolfius, vir (ac filii testimonium suspectum esset, nisi adhuc complures boni et prudentes superessent, qui de eo honestissime et sentiant et loquuntur) in veteri comitatu Oetingensi, qui hoc tempore solus apud nos antiquum Rhaetiae nomen obtinet, nec virtute, nec dignitate, nec eloquentia postremus: opibus iis, quibus meliore illa aetate, moribus admiratione [3H] diuinarum minus corruptis, et ab egestate et a contemtu facile vindicaretur: ac longe maiores is et parare et relinquere nobis potuisset, nisi maius liberalitatis et beneficentiae studium, quam sordium et auaritiae habuisset. [3] Materna origo paulo fuit humilior, si nostra tempora spectes. Sed si antiquitatis quasi praerogativa aliquid valeret, vetustissima et splendidissima. Quam enim artem Paradiso pulsus factitauit Adamus: ea mihi a materna stirpe relicta est haereditaria, atque vtinam agri etiam<sup>3</sup> tantum fuisse relictum, vnde viuere potuisse. Opere enim rustico faciendo haud dubie et confirmata fuisse valetudo, et<sup>4</sup> animus natura simplex et apertus, insidias, fraudes, scelera multorum ignoraret, quorum me ita pertaesum est, vt mortem honestam et piam saepe magis optem, quam vitam diuturniorem. [4] Sed si paterni stemmatis origo altius repetenda sit, et si quid amissa bona valeant, et inops nobilitas opibus male partis anteferatur: vetustate generis, et equestris ordinis dignitate non multis cederemus. Ac monimenta maiorum meo[776R]rum extant<sup>5</sup> adhuc in opulentissimo Caesariensi monasterio inter

<sup>1</sup> memoriam korrigiert aus memoriae H.

<sup>2</sup> quia] quoniam Reiske.

<sup>3</sup> etiam] modo Reiske.

<sup>4</sup> et] atque Reiske.

<sup>5</sup> extant] exstant H, Reiske.

cuius<sup>1</sup> fundatores (vtendum est<sup>2</sup> recepta voce) et ipsi fuerunt, quod passibus circiter 2000 a peninsula Danubiana, quam Werdam vulgo vocant, est dissitum, e quo concessu reuerendi viri et politica prudentia praeclara, doctrinaque<sup>3</sup> non contemnenda praediti Iohannis Saurii, Abbatis, insignia, quae tibi mitto, depicta sunt. Vnde appareat, vt opinor, neque tenues illorum fuisse opes, et animos pro ratione temporum illorum religiosos. Idem etiam<sup>4</sup> in exilio longo temporis spatio<sup>5</sup> non nisi cum nobilibus affinitates iunxerunt: neque auus meus vlli equestris ordinis homini dignitate cessit: nauata non tantum Comitibus Oetingensibus opera fideli et strenua: sed et Augustanae reip[ublicae] quadringentis volonibus adductis, quorum virtute hostiles impetus repressit, nec parua aduersariis<sup>6</sup> detrimenta fuere illata. Insignibus addidi versiculos, non optimos illos quidem (non enim Apollinis et Musarum afflatu, sed ex insomniâ scripti sunt) tales tamen, qui sine cuiusque<sup>7</sup> boni et candidi viri offensione legi posse videantur.

Insignia Pincernarum a Saltu aprugno, petita e Caesariensi monasterio inter cuius fundatores memorantur: a quibus Wolfiorum Oetingensium familia propagata est. Castelli vestigia, in pago eiusdem nominis Schweinispaind adhuc extant in Comitatu Lechsgmindensi, qui nunc est ditionis illustriss[imorum] Palatinorum Neuburgensium.



<sup>1</sup> cuius *Reiske*: eius *H.*

<sup>2</sup> vtendum est] vtendum enim est *Reiske*.

<sup>3</sup> doctrinaque] diuinaque *Reiske*.

<sup>4</sup> etiam *von Reiske ausgelassen*.

<sup>5</sup> longo temporis spatio] longo tempore *H* (*korrigiert aus* longo temporis spatio), *Reiske*.

<sup>6</sup> aduersariis *korrigiert aus* aduersariorum *H*.

<sup>7</sup> cuiusque] cuiusquam *Reiske*.

Insignia Wolfiorum post exilium.<sup>1</sup>



[5] [4H]

Lechsgmünd<sup>3</sup>  
Werniz<sup>4</sup> im Rieß  
[777R]

Nunc zur alten pyrg<sup>6</sup>

Hos atua titulos dederant, et praedia nobis:  
Quis<sup>2</sup> coniunctus erat nobilitatis honos.  
Praedia sed postquam domini rapuere potentes  
(Irarum causas nescio, fata scio.)  
Hostia, Danubio qua se Lycus ingerit, horrent:  
Bernicij ripas tutaque rura colunt.  
Dissimulantque genus, mutant insignia, nomen  
Adsciscunt,<sup>5</sup> cani quod tribuere lupi.  
Siue truces magis vt possent vitare tyrannos:  
Seu puduit sine re nomen inane sequi:  
Siue quod a Welfa superati parte stetissent,  
Est etiam victi nominis altus honos.  
Hancque reor causam. Grauis haec fert alea Martis  
Infausti. Periit tum Calatina domus:

<sup>1</sup> Insignia Wolfiorum post exilium von Reiske ausgelassen.

<sup>2</sup> Quis] Queis Druck 1572.

<sup>3</sup> Lechsgmünd] Lechs;gmind Druck 1572.

<sup>4</sup> Werniz] Wernitz Druck 1572.

<sup>5</sup> Adsciscunt] Asciscunt Druck 1572.

<sup>6</sup> Nunc ... pyrg fehlt im Druck 1572.

Inferior Stereberga ruit, castellaque plura  
 Quam domini culpam sustinuere, luunt.  
 <Diffugiunt possessores: vix nomina restant:  
 Publica tam late noxa vagata fuit.<sup>1</sup>>  
**[6]** Vide Chronicon Peuceri. Sub  
 Conrado III Imperatore anno 1140.<sup>3</sup>  
 Quin etiam Winsberga<sup>2</sup> tuos infesta penates  
 Caesaris arma petunt: salua sed ipsa manes.  
 Nec modo salua manes, sed longa in secula nomen  
 Caesaris, atque piae coniugis acta refers.  
 Victor enim clemens, statuens modo plectere sontes  
 Matronam certa conditione vocat.  
 Efferat arce, suo quae sint carissima<sup>4</sup> cordi,  
 Quantum vel toto corpore ferre queat.  
 Illa sui vitae metuens, non<sup>5</sup> falsa, mariti  
 Non aurum, gemmas, deliciasue gerit.  
 Sed gerit illa virum, satis haud laudanda virago  
 Cumque viro recipit caetera cuncta suo.  
 Principis exemplo quoque caetera turba maritos  
 Et pueros effert: estque ita parta salus.  
**[7]**  
 Ast ataui nostri spoliati protinus omni  
 Subsidio, Boios perpetue Marte petunt.  
 Im Kiris begraben<sup>6</sup>  
 Arma gerunt viui, comitantur et arma sepultos:  
 Militiae vetus hoc estque manetque decus.  
 Scilicet hoc animis aluere, aliquando luporum  
 Se rabie hostiles perdere velle greges.  
**[8]** [5H] ante captam a Turcis 1452  
 Constantinopolim. Beuther[us] in  
 Animaduers[ionibus] Histor[icis] c.  
 VIII.<sup>8</sup>  
 προγάστωρ<sup>9</sup>  
 Idque sub id tempus, <veteris<sup>7</sup>> quo moenia Byzae  
 Turcus atrox rapuit, fortiter ausus auus.  
 Hic peperit virtute nouum sibi clarus honorem  
 Inuicto celebris robore semper eques.  
 Wolfius Huldricus, vulgo Bauchuzius heros:  
 Vir praestans animi, paupere sorte licet.

<sup>1</sup> Diffugiunt ... fuit fehlt in *H* und bei Reiske; ergänzt nach dem Druck 1572.

<sup>2</sup> Winsberga] Vinsperga Druck 1572.

<sup>3</sup> Vide ... 1140] Sub Conrado III. anno 1140. Vide Chronicon Peuceri. Druck 1572.

<sup>4</sup> carissima] charissima Druck 1572.

<sup>5</sup> non] o Reiske.

<sup>6</sup> Im Kiris begraben fehlt im Druck 1572.

<sup>7</sup> veteris in *H* und von Reiske ausgelassen; ergänzt nach dem Druck 1572.

<sup>8</sup> ante captam ... c. VIII fehlt im Druck 1572; späterer, nicht von Wolf stammender Zusatz.

<sup>9</sup> προγάστωρ fehlt im Druck 1572.

[778R] Chronicon Augustanum  
Achillis Gasseri. Anno 1462,  
Bauchuzio ductore 400 volonum  
(Freiknecht) contra Ludouicum  
ducem, haud contemmendam  
talionem Boiaris intulerunt.<sup>5</sup>

Ille quadringentos tibi dux, Augusta, volones  
Contra Boiorum contulit arma, truces:  
Auspiciis fera bella tuis, vrbs clara, ciendo:<sup>1</sup>  
Otia<sup>2</sup> cuius ego munere docta colo.  
Otia<sup>3</sup> sed contemsit<sup>4</sup> auus, discrimina vitae  
Contemsit:<sup>6</sup> stimulat pectora magna dolor.  
Fretus equo, gladiis et acuti grandine pili  
Hic tibi non dubitat bella mouere,<sup>7</sup> Leo.  
Hei<sup>8</sup> quoties atra in nebula, et caligine Lunae  
Saltibus in densis, aspera quanta tulit?  
Infestae quoties sensit ludibria noctis?<sup>9</sup>  
Spectra viri specie nunc, modo fronte ferae?  
Impete quae vasto fatum minitantur<sup>10</sup> acerbum:  
Est in conspectu tristis imago necis.  
Ecce giganteis species se molibus infert:  
Hanc<sup>11</sup> auus armatum quod putat esse virum:  
Contorquens celerem, neruo stridente, sagittam  
Pectoris in medii dirigit arte sinus.  
Ah<sup>12</sup> miser, haud fuit ille vir: atri daemonis astu  
Fit tibi flammiuomus falsa figura globus:  
Alta petens, circumque caput, galeamque coruscum  
Obuolitans, tandem nubila coeca<sup>13</sup> subit.  
Namque<sup>14</sup> suis tali diffisus tempore telis,  
Numinis implorat, mox quoque sentit opem:  
Sic tandem nox aegra virum terrorque relinquit,  
Inde suos repetit laetus ouanske lares.

<sup>1</sup> Auspiciis ... ciendo] Auspiciis, vrbs clara, tuis fera bella ciendo *Reiske*.

<sup>2</sup> Otia] Ocia *Druck 1572*.

<sup>3</sup> Otia] Ocia *Druck 1572*.

<sup>4</sup> contemsit] contempsit *Druck 1572*.

<sup>5</sup> Chronicon ... intulerunt fehlt im *Druck 1572*.

<sup>6</sup> contemsit] contempsit *Druck 1572*.

<sup>7</sup> mouere] ciere *Reiske*.

<sup>8</sup> Hei] Heu *Reiske*.

<sup>9</sup> noctis *Druck 1572*: mortis *H, Reiske*.

<sup>10</sup> minitantur] minitatur *Reiske*.

<sup>11</sup> Hanc *Druck 1572*: Hunc *H, Reiske*.

<sup>12</sup> Ah] At *Reiske*.

<sup>13</sup> coeca] caera *Druck 1572*; von Wolf in einigen Exemplaren handschriftlich korrigiert.

<sup>14</sup> Namque] Nanque *Druck 1572*.

Zu Wallerstein<sup>1</sup> im gemaerten  
Garten  
**[9]**

[6H]

[779R] Eger, Mauch, Wasser im  
Rieß<sup>4</sup>

Unter der Nebelkappen<sup>7</sup>

**[10]**

Herzog Georg v[on] Baiern der  
reich<sup>11</sup>

Qua te turrigera mons Wallersteine, corona  
Splendidus ostentans, pinguia culta vides.  
Hic quamuis<sup>2</sup> septis latitare quietus in hortis<sup>3</sup>  
Posset, in obscuro deliciisque frui.  
Non tamen alma quies placet: impiger omnia tentat:  
Arma ciens, hostes nocte dieque petit.  
Saepe quidem fugat hos vinctus: fugit ipse vicissim  
Victus. Habes varias, Mars malefide, vices.  
Praecipi quoties hostilia spicula saltu  
Elusit? quoties flumina vasta petens?  
Effugii monimenta, cruce, videt Egra Lycusque  
Mauchaque: ni<sup>5</sup> tempus sustulit illa vorax.  
Flumina parua quidem. Niuibus sed et imbris aucta  
Diluui Campos opperuere suo.  
Saepe etiam medio circumdatus<sup>6</sup> hoste, fefellit  
Delusos oculos, coniugis arte sua.  
Illa suis precibus perituri fata mariti  
Distulit: illa animos effugiumque dedit.  
Muniit haec Orci galea (si credere fas est,)  
Pallas vti fortē Persea, diua potens.  
Cyllaron haec quoque praepetibus<sup>8</sup> circumdedit<sup>9</sup> alis:  
Bellerophontei<sup>10</sup> nobilis instar equi.  
Ergo ferox animis, et pectore fortis et armis  
Praesidio superūm fretus et artis ope:  
Non prius infestare tuos, dux Boie, clientes  
Vrgens perpetuo nocte dieque metu,  
Destitit, ac certa pax conditione coiret:  
Tuque viro, princeps, praemia certa dares:

<sup>1</sup> Wallerstein Druck 1572, Reiske: Wallenstein H.

<sup>2</sup> quamuis] quanquam Druck 1572.

<sup>3</sup> septis ... in hortis Druck 1572, Reiske: septos ... in hortos H.

<sup>4</sup> Eger ... Rieß fehlt im Druck 1572.

<sup>5</sup> Mauchaque: ni] Mauchaque ni Druck 1572: Mauchaque: in H: Mauchaque. Sed Reiske.

<sup>6</sup> circumdatus] circundatus Druck 1572.

<sup>7</sup> Unter der Nebelkappen H, von Reiske ausgelassen: Under der Nebel kappen reitten Druck 1572.

<sup>8</sup> praepetibus Druck 1572: perpetibus H, Reiske.

<sup>9</sup> circumdedit] circundedit Druck 1572.

<sup>10</sup> Bellerophontei Druck 1572, Reiske: Bellerophontaei H.

<sup>11</sup> Herzog ... reich fehlt im Druck 1572.

Praemia parua quidem numero, sed pondere magna.  
Munera iustitiae<sup>1</sup> symbola, pondus habent.  
Ergo datur bellator equus, radiantia dantur  
Arma viro: dantur pauca talenta viro.  
Pauca talenta quidem. Sed erat victoria laudi,  
Quae magnis animis vnica meta placet.  
Armis atque auro, Tyrio de murice vestis  
Additur, ornatus conuenientis honos.  
Placatusque duci, dextraque potitus<sup>2</sup> amica  
Principis inuicti, qui prius hostis erat:  
Fida ministerii promittit<sup>3</sup> sedulus arma  
Annuaque e fisco munera deinde capit.  
Hinc placidam coluit pacem Bauchuzius heros  
Oetingae Comitum munere tutus eques.  
<Magnanimi heroes, nati melioribus annis:  
Iusticiae qui non antetulistis opes.  
Supplicibus tutum profugis reserastis Asylum:  
Et virtus vestram viuida sensit ope.  
Maior honestatis vobis respectus et aequi:  
Quam quod nunc sequitur maxima turba, lucri  
Gratia nec fallax vos recti a tramite flexit:  
Nec procerum tristes perdomuere minae.  
Omnia constanti vicistis mente pericla:  
Hostis et a vobis nulla trophyea tulit.  
Quas vobis referam, praestantia pectora, grates?  
Qua vestrum digna laude vehatur opus?  
Regia (quis neget hoc?) res est succurrere lapsis:  
Erigere afflictos gaudet et ipse Deus.  
Quique iuuant miseros, Deus hos haud deserit vnquam.  
Perpetua superi vos tueantur ope:  
Longa velut iam tutati per secula nunquam  
Praesidio victos destituere suo.  
Ornauere opibus, praelustri stemmate claros:  
Principibusque pares constituere viris.

[7H]

**[11]** Autor gratias agit Comitibus  
Oetingensibus, maiorum suorum  
defensoribus.

Oetingenses comites saepe cum  
principibus affinitates iunxerunt.

<sup>1</sup> iustitiae] iusticiae Druck 1572.

<sup>2</sup> potitus] petitus Reiske.

<sup>3</sup> promittit] permittit Reiske.

[12]

Semper at in maius vos prouehat autor honorum:  
Semper et ex omni clade reuellat. AMEN.  
Nostra quidem tenuis vis est: sors aspera votis  
Obstat, vt haud grates facta referre queant.  
Nostras nulla vices supplebit<sup>1</sup> mascula proles:  
Sed genus et nomen conteget vrna breuis.  
Ingenii monimenta tamen non pauca videbit,  
Paruaue posteritas forte futura memor.  
Atque aliquis dicet: Non tu sine nomine Vuolfi  
Occidis. En soboles quam numerosa manet?  
Non te dedecorat tua proles: laudibus ornat  
Sed magis: et patrias vsque tuetur opes.  
Quos tuus erudiit labor ac industria constans,  
Complures patria te pietate colent.  
Corporeae quam compagi solertia praestat  
Mentis: tam soboles clarior huius erit.

[13]

Ast ataui nostri foecundi corpore, mente  
Foecundi, nomen rettinuere suum.  
Hi, illustres Comites, per bis duo secla perenni  
Vestros maiores percoluere fide.  
Vestri maiores per bis duo secla vicissim  
Hos patrocinio demeruere suo.  
O decus eximum cum pectora fida clientum  
Cura patrocinii non peritura fouet.<sup>2></sup>  
Haec ego te, genitor, recolo memorare, Georgi:

[14]

Qui mihi perpetuo numinis instar eris:  
(Nam tuus hoc amor et virtus praeclara meretur)  
Hortus vbi Christi valle tegente latet.  
Sed puer (hei<sup>4</sup> cur non sapit aetas) pauca notaui  
De multis: coeca pleraque nocte latent.  
Nominis est aliquis forsitan, vel temporis error:  
Quae res perturbant saepius historias.

<Christgart Carthaus<sup>3</sup>>

[780R]

<sup>1</sup> supplebit] suppleuit Druck 1572.

<sup>2</sup> [11] Magnanimi heroes ... fouet in H und von Reiske ausgelassen; ergänzt nach dem Druck 1572. Anstelle der ausgelassenen Verse wurde in H die ursprüngliche Randbemerkung in den Text gerückt (von Reiske als Fußnote wiedergegeben): Gratias agit autor illustribus Comitibus Oetingensibus maiorum suorum defensoribus et patronis.

<sup>3</sup> Christgart Carthaus fehlt in H und bei Reiske; ergänzt nach dem Druck 1572.

<sup>4</sup> hei Druck 1572: heu H, Reiske.

[15]

Quicquid id est, regum genitrix, domus inclyta, laudes  
Ista tuas minime diminuisse putas.  
Regna tuus tenet alta Leo: neque cura Luporum  
Est illi, si quos vel sua culpa fugat:  
Vel fugat ira potens, eadem placata quiescit  
Denique: nec miseros nec sine fine premit.  
Parcere subiectis et debellare superbos,  
Clara Palatini stemmatis arma iubent.  
Vestra nouam hoc facto meruit clementia laudem,  
Muneribus nostrum quod decorastis auum.

[16]

Is coluit Martem: nos mollia numina Musas  
Apris atque lupis nobiliore stylo.  
Hic dedit (haud superum contemno munera) nomen  
Ingenio partum non breue: Liuor abi.  
Saepe quidem infigis genuinum. Sed nihil amens  
Proficis: infringes protinus arma tua.  
Quam mihi laureolam Phoebus facilesque dederunt  
Pierides, nitido semper honore viret.  
Me Padus<sup>1</sup> et Tybris nouit: me Sequana nouit:  
Me Tagus, et celeri Sarmata victor equo.

Allusio ad nomen Wolfii<sup>2</sup>

Hic lupus in mediis potuit florere Britannis,  
Insula sed rapidis non adeunda lupis.  
Nam mea Germanum sibi me Germania ciuem  
Vendicat: vtque suum, Rhenus et Ister amat.<sup>3</sup>  
Bernicius genuit: variis sors sedibus egit:

Nunc Augusta tenet: caetera nota Deo.

[17] Anno 1559<sup>4</sup>

Ista quater denos nati conscripsimus annos  
Se medii lustri consociante nota:  
Cum mihi iam medio brumam ducente Decembri  
Somnus iners media nocte solutus abit.  
Non ego, (ne culpes:) facit hos<sup>5</sup> insomnia versus,  
Otia namque<sup>6</sup> dies, talia, nulla daret.

<sup>1</sup> Padus] Tagus Druck 1572; von Wolf in einigen Exemplaren handschriftlich korrigiert.

<sup>2</sup> Allusio ... Wolfii] Allusio ad cognomen et naturam insulae Druck 1572.

<sup>3</sup> amat Druck 1572; amant H, Reiske.

<sup>4</sup> Anno 1559 fehlt im Druck 1572.

<sup>5</sup> hos] hoc Druck 1572; von Wolf in einigen Exemplaren handschriftlich korrigiert.

<sup>6</sup> Otia namque] Ocia nanque Druck 1572.

<Significat se perpetuo esse  
occupatum<sup>1</sup>>

Nam modo Chalcographo pereunt mihi tempora prelo:  
Nunc subeunda vocant iussa potentis heri:  
Nunc ornanda voluminibus noua Bibliotheca:  
Nunc opus est pueris βῆτα καὶ ἄλφα λέγειν.  
Nunc tristes cruciant morbi, pluteisque<sup>2</sup> remotis,  
Lectulus inuitum me requiete fouet.  
Haec inter me Pierides fugêre: Dearum  
Non nisi qui colit has sedulus, optet opem.

[18] [781R] Hactenus de origine familiae nostrae<sup>3</sup> nugari libuit: quia nonnullos huiusmodi  
nugis non modo delectari, sed plus etiam quam probitati et doctrinae tribuere  
animaduerto: vsque adeo, vt Appietates et Lentulitates fatuorum et improborum longe  
pluris faciant, quam sapientiae decus, et ornamenta virtutis. Apud alias

Et genus (vt virtus)<sup>4</sup> nisi cum re: vilius alga est.

[9H] Tanta est peruersitas atque amentia. Nunc ad me venio.

[III,1] Natus ego sum in arce Oetingensi, anno a natali Christiano MDXVI. Idibus  
Augusti, non multum, vti reor,<sup>5</sup> ante solis occasum. Tempus enim, patre ob publica  
negotia absente, a mulierculis πλατυκώτερον, vti solent, annotatum est, intra 6 et 7  
horam a meridie. Quae eaedem me Hieronymum appellarunt, siue obliuione siue  
affectione<sup>6</sup> aliqua: cum pater Gregorii nomen imponi mihi voluisset. Et quidem plus  
vigiliarum habuit vita mea (quod vtrumque doleo) quam sanctitatis. Praestitisset enim  
placide dormisse, quam male vigilasse.

[IV,1] Quod si horologium fefellit (vt saepe fit, ac potius plerumque) potuit natalis meus  
paulo esse maturior: vt ex trutina Hermetis, quam vocant, ♚ 14 horoscopet: vel in  
septimam incidere: vt initium ♚ ex antegressa oppositione secundum Ptolemaicam  
correctionem, tenuerit orientem. Caeterum vtramque hanc rationem, non contempnendis  
argumentis euertit Ant[onius] Montulmius. Iam quod ad inuestigationem puncti  
horoscopantis ex euentibus attinet: ei quoque rei haud scio quantum sit tribuendum.  
Nam tametsi Martialia pleraque subita, violenta et cruenta: Saturnia vero insidiosa,  
virulenta, luctuosa, diuturna perhibentur: tamen et eundem casum ab aliis ad alias

<sup>1</sup> Significat ... occupatum fehlt in H und bei Reiske; ergänzt nach dem Druck 1572.

<sup>2</sup> pluteisque Druck 1572: curisque H, Reiske.

<sup>3</sup> nostrae] meae Reiske.

<sup>4</sup> Et genus (vt virtus)] Et genus et virtus Reiske (nach Horaz, Satiren 2,5,8).

<sup>5</sup> reor korrigiert aus recordor H.

<sup>6</sup> affectione] affectatione Reiske.

causas,<sup>1</sup> non sine rationibus accommodari video: et multa multis siue diuinitus, siue μαγικῶς euenerunt, quorum significations in genesi non<sup>2</sup> apparent. Quid quod de nobilitate et opibus familiae (quae plus plerumque valent, quam vel optimus siderum positus ad beandos in terris homines) non facile certi quicquam e genesi pronuntiabitur. Infiniti me dignitate et diuitiis superant, non ob positum stellarum in coelo, sed ob nummos in maiorum loculis repositos et familiae fundamenta: quibus sidera nil nisi humile, sordidum, abiectum tribuisse videantur. Nec sine causa queritur Cardanus, falso tempore, falsa supputatione, falsa ratione, et mulierum adulteriis turbari iudicia astrologorum. Solent et plures progressiones in idem fere tempus incidere: quarum aliae vim suam ostendunt, aliae nihil admodum afferunt mutationis: quamuis pares planetarum in genesi vires, nec radiis Solis, nec retrocessionibus impeditae perhibeantur. Quae vt vniuersae efficaces sint: fieri et potest, et saepe fit, vt aliae aliam horoscopi partem ostendant. [2] Quis vero hic non dubitet, ἐπέχων καὶ διασκεπτόμενος; Quam enim quartam corrigendi methodum tradunt, obseruationem altitudinis Solis, aut stellae alicuius, quotusquisque est, qui a[ut] adhibeat aut adhibere possit? Quare parum absum, quin id sentiam de genesibus, quod quidam de Homericis Rhapsodiis dixit: eas esse correctissimas, quae minime sint correctae: nisi enormis sit error temporis annotati. Quod quum fit<sup>3</sup> (et quidem saepe fit, vt in eadem ciuitate horologia: quod ipse non semel animaduerti: amplius 40 minutis discrepent) qui nihil iudicat, rectissime iudicat. Qui vero falsis correctionibus decipiuntur: non ab astrologo sed a semet ipsis decipiuntur. Quid enim ille verum (vt et artificem probum et artem non incertissimam esse largiare) nisi ex tempore vero diuinabit? Vt igitur reus causam ad oratorem: sic futurorum cupidus tempus non ab astrologo petere, [10H] sed ad eum deferre debet. De quo si dubitat: nec sibi nec illi negotium facessat: nisi forte in admodum generali explicatione positus planetarum insignis et affectionis ac arradiationis inter ipsos, acquiescat: vel ignorato horoscopo, eiusque ac caeterarum stellarum progressionibus. [3] Quod ipsum non sane contemnendum est. Quis enim non de eo bene speret, qui Saturnum et Iouem trigono radio coniunctos et Mercurium Spica Virginis ornatum, sextili intuentes, Solem in Leone, Venerem in Libra positam habuerit: quicunque sit horoscopus? Quis e contrario non et miseretur et oderit eum, cuius Lunam minutam lumine in Scorpio a Saturno et Marte Retrogradis, in oppositione Mercurii R[etrogradi] et a Sole combusti, obsessam viderit, Venere Arietem, Ioue Capricornum obtinente? Nam 24 horis perexigua fit earum rerum mutatio. Lunae motu excepto: quae hoc spatio, quum aliquando 15 gradus conficiat: ex alio signo in aliud transire potest, vnius semisse peragrato. Idem accidere potest et in aliis planetis, extrema signa occupantibus. Dubiae

---


<sup>1</sup> ab aliis ad alias causas] ob alias causas Reiske.

<sup>2</sup> non von Reiske ausgelassen.

<sup>3</sup> fit korrigiert aus sit H.

fallacesque sunt et eae geneses, in quibus Sol vel ortui vel occasui est vicinus: ob nocturnam diurnamque planetarum reliquorum conditionem. Cum autem unicum scrupulum, in coelis immensum spatium occupet, et naturae signorum et finium nequaquam sint eaedem ac potius diuersissimae: platyca ista ratio quin plurimum fallat, non posse fieri videtur: vt cunque dicant, terrae angustias hic, non coeli infinitatem spectari. [4] Exemplo sit mea genesis: in qua ex Alfonsino calculo  $\odot$  in 29.52  $\Omega$  est in suo domicilio, decano, et finibus  $\sigma^{tis}$ . Transfer eundem Copernicum secutus in 0.5  $\mathfrak{M}$ : iam in suo tantum decano erit, in Mercurii finibus, ab eo que receptus. Idem est et de horis planetarum iudicium. Verum ego obseruationem natalis mei, si non exquisitam, non tamen multum a vero aberrantem fuisse reor. Vnde et Regiomontani doctrina tale Thema conflatum est a Cypriano Leouicio: quod explicatum extat<sup>1</sup> in eiusdem luculentissimi operis Ephemeridum posteriore parte, quae Astrologiae Epitomen, vna cum dialogo meo de vsu illius siue artis, siue obseruationis, siue coniecturae continet.

[11H]



[5] Huius figurae<sup>2</sup> commoda sunt, quod et planetae omnes partim in suis, partim in beneficorum dignitatibus sunt: Venus et cum Spica Virginis, stella splendidissima, et

<sup>1</sup> extat korrigiert aus est H.


<sup>2</sup> Im Horoskopschema: Lat[itudo] ... H[ora] ♂ fehlt im Druck 1557. – » 14.27. ♉ fehlt in H; ergänzt nach dem Druck 1557. – ♂ 14.58. T.] ♂ 15.9. Druck 1557 – II 10.12. Druck 1557: II 24.40. H. – 24 7.14. ♀] 24

7. **J** H: 24 7.14. Druck 1557. – ⊖ 29.52. **J** Druck 1557: ⊖ 29.52. H. – ⊗ 1.52] ⊗ 3.20. Druck 1557; von Wolf in seinem Handexemplar korrigiert.

tantarum virium, vt vel sola (si in meliorem thematis locum incidisset) totam genesin illustrare potuisset, quod supra terram quinque, ἐπίκεντροι siue angulares 4: quod nullus retro cedit: quod nullus Solis radiis comburitur. Incommoda vero Saturni καθυπερτέρησις καὶ συσχηματισμοὶ οὐ προσφίλεῖς σχεδὸν πρὸς ἄπαντας (illud quidem verum esse vellem, quod Cardanus affirmit, eundem horoscopi dominum, in 11 ✸ cum stellis suae et Veneris naturae, praeclarum largiri ingenium) vtrunque lumen pulsatum a maleficis, ☽<sup>a</sup> etiam, sexti loci domina, horoscopum in morbido signo, tenente: vtraque benefica stella in abiectis locis: omnes planetae tardi motu: Ioue excepto, qui est velocissimus et occidentalis:<sup>1</sup> sed secundum quosdam peregrinus: vt et Saturnus non ὠροσκοπάρχης. [6] Quo fit, vt et animus naturali quadam desperatione fractus, nimium sese abiiciat, et q[uasi] in diuersas distractus partes, vnum eundemque vitae ac studiorum cursum tenere non possit, et nihil purum putum decernatur: sed si quid mellis instillatum fuerit, multo semper felle permisceatur: et laboribus neque dignitas, neque gratia, neque autoritas, neque praemia respondeant: saepe et successus egregis conatibus desit: imo infortunium, odium, inuidia, obtrectatio, contemtus benevolentiam et studium meum remuneretur: et fortuna ostentetur saepius, nunquam contingat optata: nec quicquam sit aliud splendor meus (si quis ille est, aut vnquam fuit) quam splendida miseria, me falsis semper imaginibus ludens, vt Aeneam Venus apud Maronem. Magno labore parta leui momento pereunt: per amicitiae et benevolentiae speciem a plerisque vel insidiis appetor, vel callidissimis technis deludor: valetudine infinitis incommodis obnoxia: [12H] vt miraculi plane instar esse videatur, me in tantis et tam diuturnis doloribus nec affixum esse lectulo, et multis robustissimis adolescentibus fuisse superstitem, et animi alacritate in studiorum laboribus capessendis, et itineribus faciendis, hactenus quidem cessisse non multis. Sed harum rerum omnium signa haud obscura ex hoc positu siderum erudit deprehendent. Facit enim Saturnus bene affectus, tolerantes laborum et aerumnarum, et ὁ ἀναβίβάζων σὺν τῷ τοῦ Διὸς τὴν κακὴν τύχην κατέχων eum designat, qui corporis imbecillitatem et paratis remedii, et animi robore fulciat ac sustentet. [7] Quod si quis ad aequales partes omnia distribuat (quod ibi fortasse rectissime fit, vbi τὸ ἔξαρμα τοῦ πόλου non magnum est) mutatio quaedam fiet, non tamen tanta, vt ab hoc iudicio multum sit recedendum. Quare et Christiani Heidenis, Norimbergensis Mathematici, condiscipuli olim mei atque amici, delineationem (in motu tamen Planetarum quoque nonnihil a superiore differentem) addamus.

---

<sup>1</sup> occidentalis] orientalis H.



[8] Haec constitutio in plerisque magis consentire videtur cum experientia. Nam et patrimonium paulatim omne consumsi: quod Mars in imo coeli indicat: et praeterquam quod natura sum promtior ad largiendum aliis, quam ad accipiendum, vnde non decet: valetudo, medicamenta, thermae, tabellarii, aurigae, mendici, homines vagi, sumtui mihi sunt, et ingenium natura fuit paulo turbidius ac tardiusculum: quorum illud Luna in anaphora horoscopi:<sup>1</sup> hoc Mercurius in epicataphora significat: vna cum insidiis plurimis, et nefariis oppugnationibus aemulorum et inimicorum. Iam vero ludibria somniorum et praestigias Magicas ἀπὸ δαιμόνων ὄνειροπομπῶν plura et certiore euentu perpessum esse mortalium neminem, existimo. Quod breuiter hic attigisse sit satis, cum ingens volumen ὄνειροπόλου ιστορίας ἀληθεστάτης scribere [13H] possem.<sup>2</sup> Nescio enim<sup>3</sup> quo fato meo, [782R] fere vbique locorum in homines incidi, malarum quam bonarum artium studiosiores: quorum et consuetudine, volenti nolenti, fuit vtendum, et accipienda ac mussitandae iniuriae, saepe et<sup>4</sup> pro maleficiis agendae gratiae, cum ea<sup>5</sup> officiolis quibusdam, veluti venenum melle praelitum,<sup>6</sup> occultarentur. Quae res me natura simpliciss[imum] minimeque male cogitantem, eo redegerunt, vt omnia suspecta habeam, et vt Trojanus ille, metuam Danaos et dona ferentes. Ἀδωρα γὰρ οὐ μόνον τὰ

<sup>1</sup> horoscopi korrigiert aus horoscoporum H.

<sup>2</sup> [1] Quid quod de nobilitate et opibus familiae ... scribere possem von Reiske ausgelassen.


<sup>3</sup> enim von Reiske ausgelassen.

<sup>4</sup> et] etiam Reiske.

<sup>5</sup> ea] eae Reiske.

<sup>6</sup> praelitum] perlitum Reiske.

τῶν ἔχθρῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν φιλίαν ψευδομένων τὰ δῶρα. In causa esse reor πολιτικῶς μὲν εἰπεῖν, τὴν ἄγαν ἐνίων φιλαυτίαν: qui se ἀθανάτους καὶ ἀγήρως καὶ μάκαρας esse student: et sibi bene<sup>1</sup> esse quam alteri, et alteri male esse quam sibi, quo iure quaque iniuria, malunt: idque ut consequantur, quoad possunt<sup>2</sup> (non autem tantum possunt, quantum volunt) nihil pessimarum artium intentatum relinquunt: ἀστρολογικῶς δὲ τὴν μολυβδίνην μᾶλλον ἡ χρυσῆν<sup>3</sup> Ἀφροδίτην, ὑπό τοῦ Κρόνου<sup>4</sup> οἰκοδεσποτούμενην τε καὶ τετραγωνιζομένην<sup>5</sup> (habet enim sextilis longorum signorum vim quadrati) συνοῦσάν τε<sup>6</sup> τῷ ὑπερλάμπρῳ ἀστέρι τοῦ στάχυος. Eodem fortasse non parum facit καὶ ἡ τοῦ νεκροπομποῦ Ἐρμοῦ in loco coeli infesto, constitutio. Reliqui positus, nullam fere afferunt mutationem. [9] Si vero eorum ratio vera sit, qui 27<sup>7</sup> partes de thematibus nunc receptis nescio quibus de causis, detrahunt, ea figura natalitia conflabitur, quae et cum longitudine dierum non parum (Sol enim in extremo Leone constitueret aequinoctium) et pene ex diametro cum vitae meae ratione pugnare videatur.



<sup>1</sup> bene] bonum *H*, *Reiske*.

<sup>2</sup> possunt] possint *Reiske*.

<sup>3</sup> ἡ χρυσῆν] ἡ τὴν χρυσῆν *Reiske*.

<sup>4</sup> Κρόνου korrigiert aus χρόνου *H*.

<sup>5</sup> τετραγωνιζομένην *Reiske*: τετραγονιζομένην *H*.

<sup>6</sup> τε] δὲ *Reiske*.

<sup>7</sup> 27 korrigiert aus 25 *H*.

[14H] Sunt enim hic animosiora, fortunatiora, illustriora, improbiora et*<iam>* pleraque et alicubi violentiora, *<quam>* quae hactenus priuata mea comprobauit experientia. [10] Sed omissis hisce coniecturis, et dubiis per sese, et non consentientibus et controversiarum plenis (neque iam<sup>1</sup> tantum de natalitio themate constituendo, et de diuersa iudicandi ratione loquor, sed de<sup>2</sup> ipso et siderum motu et veris locis. Qua de re aliquando, vti spero, praestanti ingenio iuuenis Tycho de Brahe Cimber nos accuratius instituet.) ad seriem narrationis est redeundum. Prius tamen ab illo quoque ex ratione Campani, et e tabulis Prutenicis schema delineatum adiiciam: vel ea de causa, ne οἱ φίλαστρόλογοι oracula putent esse ea, quae fere nihil aliud sunt, nisi λόγοι. [11] Neque vero haec sic accipi velim, quin et maximas siderum vires esse arbitrer, et olim *<aeque<sup>3</sup>>* atque nunc est nonnullos mirabilia praedixisse sciam: sed quod existimo, nostra aetate, et in nostris terris nouas requiri obseruationes et correctiones: quae sine principum et regum opibus accuratae esse non possunt.<sup>4</sup> Qui dum pecuniam<sup>5</sup> vel luxu vel bellando consumunt: nos rerum nostrarum satagentes, iis vtamur, quibus meliora non habemus: modesteque de hoc genere diuinationis senti>mus:<sup>6</sup> prora ac puppi<sup>7</sup> consiliorum et actionum nostrarum non in dubiis coniecturis, sed in certo<sup>8</sup> Dei verbo collocata. Ego quidem<sup>9</sup> hoc animo et sum et semper fui, vt ob praedictiones Astrologorum, neque honestos conatus deserendos, neque spe rerum meliorum temere quicquam, extra munus officii, moliendum mihi esse iudicarem: magisque spectarem, quid<sup>10</sup> valetudo mea, quid<sup>11</sup> ingenii tenuitas, [783R] quid<sup>12</sup> loca et tempora promitterent<sup>13</sup> in terris, quam quid<sup>14</sup> in Olympico de me concilio decretum esset. [12] Thema autem illud, ab aestimato, quod vocant, tempore scrupulis 32 et a figuris superioribus partibus 12 propter euentus quosdam, detractis, est huiusmodi:

---

<sup>1</sup> iam korrigiert aus enim H.

<sup>2</sup> de korrigiert aus et H.

<sup>3</sup> aeque Ergänzung Wilfried Stroh.

<sup>4</sup> [8] Eodem fortasse non parum facit ... non possunt von Reiske ausgelassen.

<sup>5</sup> Qui dum pecuniam] Dum reges pecunias Reiske.

<sup>6</sup> sentiamus Reiske: sentimus H.

<sup>7</sup> puppi] puppis Reiske.

<sup>8</sup> certo] vero Reiske.

<sup>9</sup> quidem] quod Reiske.


<sup>10</sup> quid] quod Reiske.

<sup>11</sup> quid] quod Reiske.

<sup>12</sup> quid] quod Reiske.

<sup>13</sup> promitterent] permitterent Reiske.

<sup>14</sup> quid] quod Reiske.



Ac minatur ille, vel sub finem anni 1570 vel 71 initium, quiddam tragicum: horoscopo secundum hoc thema, ad Martis coniunctionem progressuro. Quod ni fiat: falsitatis hanc figuram conuictum iri asseuerauit. Γενηθήτω δὲ τὸ δόξαν τῷ πολυελέῳ θεῷ, τῷ μηδέποθ' ἡμᾶς, πολλοῖς τοῖς δεινοῖς περιπεσόντας, ἐγκαταλιπόντι, οὐδὲ ἐγκαταλείψοντι ἀπαραμυθήτους γενομένους.<sup>1</sup> [13] [15H] Hactenus non quidem astragalis, sed cum Astrologis παιίζειν μᾶλλον ἢ σπουδάζειν ἔδοξεν: a quorum et amatoribus et obtrectatoribus veniam peto: ab his, si nimium: ab illis, si parum eorum scientiae tribuisse videor.<sup>2</sup> Neque enim pro nihilo ducere possum ea, quorum me conuincit experientia, neque illa pro oraculis habere, a quibus dissident euentus. Vnde coniicias, ipsam quidem artem esse veram, sed nec totam cognitam, et non semper et a paucis recte accommodari.<sup>3</sup> Nunc reliqua persequamur.

[V,1] Ante me igitur nati fuerunt fratres duo, sorores 3: e quibus duae tantum sorores restant:<sup>4</sup> quarum vna maritum alterum, liberos ac nepotes vel neptes potius, hactenus quidem habet: altera natu maior, foemina omnibus ornamentis, quae in eum sexum cadunt, abundans, monasterii Zimmerensis abbatia locuplete, se abdicare (vt et illa patriam atque opes relinquere) quam admittere quicquam, quod Deo non probari

<sup>1</sup> Thema autem illud ... γενομένους von Reiske ausgelassen.

<sup>2</sup> videor] videar Reiske.

<sup>3</sup> accommodari korrigiert aus accommodate H.

<sup>4</sup> restant korrigiert aus exstant H.

putaret, maluit. Etsi autem de earum probitate et testata beneficentia in omnes, quos iuuare queunt, et pietas et veritas plura vt dicerem, postularent: tamen vt inuidiae metu nihil aliud dicam, illud satis arguit, quales sint, quod me et fratrem, adolescentulos, donec emergeremus et ipsi, non sororio, sed plane materno affectu, pro viribus et facultatibus adiuuerunt et ornarunt: rebus suis incommodioribus nostris secundioribus ἀντιπελαργήσοντας.<sup>1</sup> Quod bona fide et cumulate praestitum esse a nobis, confidimus: itaque parens noster moribundus, cum illas, fratre Noribergae, me Tubingae agente, accersisset, in mandatis dederat, vt nos sui liberi mutua liberalitate et beneficentia vteremur: sic nobis omnibus nihil vnquam esse defuturum. Idem testatus est, se optima fide ges[784R]sisse magistratus sibi mandatos: nosque, se etiam<sup>2</sup> defuncto, fructus [16H] integritatis sua, apud Comites Oetingenses, percepturos. [2] Qui fructus cum <non sane> nulli<sup>3</sup> fuerint (nam et Carolus Wolfgangus prima quaque occasione data, sororem Annam, abbatissam designauit, et Ludouicus senior, quoad vixit, se clementem et benignum nobis omnibus praebuit,) vberiores tamen<sup>4</sup> futuri erant, nisi belli Germanici calamitas, vt plerisque in locis, ita et in patria nostra, plurima turbasset, filiis aduersus parentes, et fratribus aduersus fratres concitatis:<sup>5</sup> eo qui<sup>6</sup> aetate et rerum vsu praestabat<sup>7</sup> caeteris, Ludouico, vna cum patre nominis eiusdem in exilium acto. A quo tandem ille reuersus, haud obscuras erga nos omnes benevolentiae sua significationes edidit, meamque inprimis consuetudinem atque operam expetiuit, amplis conditionibus propositis: quod de fide mea et benevolentia erga patriam, paeclare sentiret. Verum ego illas, obstricta iam fide Augustanae Reip[ublicae] accipere non potui. Atque adeo (verum vt fatear) nec omnia Aulae consilia et facta probabantur, et verebar, ne et ob fratrum controuersias in bellum Eteocleum, et libertate linguae (cui profecto imperare non possum, vt fraudibus et iniuriis assentiatur) in calamitates inciderem, strenuam operam, id vt fieret, nauatura inuidia, quae vel solis conspectum mihi eriperet, si posset. [3] Post me nati sunt duo fratres, quorum vnu restat Henricus, Phil[osophiae] et Medic[inae] Doctor, Norimb[ergensis] Physicus et in arte sua celebris et apud nobilitatem gratiosus. Qui vt aetate minor est, sic et prudentia {et prosperitate} et eloquentia non minus, quam opibus et dignitate et totius vitae prosperitate longe me superat.

---

<sup>1</sup> ἀντιπελαργήσοντας *Reiske*: ἀντιπελαργήσαντας *H.*

<sup>2</sup> etiam] iam *Reiske*.

<sup>3</sup> nulli] gestrichene Randbemerkung in *H*: hier wird es wohl non nulli heissen.

<sup>4</sup> tamen] hi *Reiske*.

<sup>5</sup> concitatis] excitatis *Reiske*.

<sup>6</sup> qui] quod *Reiske*.

<sup>7</sup> praestabat *Christfels*: praestabant *H*, *Reiske*.

[VI,1] Quod sane vtriusque nostrūm geneses conferenti mirum videri queat. Nam et Saturnus in signo regio, et finibus ac trigono Iouis, sextilique Veneris, et ipsa Venus domi suae cum Spica Virginis in finibus et sextili Iouis, et Mercurius in sua Virgine exaltatus, in decano suo, trigono radio Martis et cardine occiduo, aliquid amplius et magnificentius decernere debebant. Praeterea » horoscopans, in signo, decano, et finibus Iouis et sextili parti  $\sigma^{is}$ , cum quadam receptione haud aspernanda est, vtcunque Mars laboret, ac pars Fortunae Solis aduratur radiis: [17H] qui iamiam e solio suo, et a Basilisco, a quo intra 7 partes distat, in scribae sui Mercurii tablinum se recepturus est: Virginea potius verecundia ornatus, quam autoritate Leonina praeditus. Sed nec a solis astris pendent omnia (ἥ γὰρ σοφὴ ψυχὴ συνεργεῖ τῇ οὐρανίᾳ ἐνεργείᾳ:<sup>1</sup> ὥσπερ ὁ ἄριστος γεωργὸς<sup>2</sup> συνεργεῖ τῇ φύσει τῆς γῆς, διὰ τῆς ἀροτριάσεως καὶ ἀνακαθάρσεως<sup>3</sup>), et geniturae quaedam, significaciones habent potentes illas quidem, sed non perinde euidentes, et ingenii morumque dexteritas, καὶ τὸ ἀσκεῖν τὸν ἐπιχώριον τρόπον, multum potest. [2] Neque mihi fortassis Aquarius horoscopans, et Saturnus μεσουρανῶν, καὶ πάντας τοὺς πλανωμένους καθυπερτερῶν, καὶ ἅμφω τὰ φῶτα τετραγωνίζων δυσμενέστατα, tantum nocet (etsi Astrologi naturae meae semina me, vt et alios, sequi dicent) quantum βεκκεσέληνον καὶ προβάτων<sup>4</sup> ἥθος, καὶ τὸ ἡκιστα ἐπιδεικτικὸν, καὶ τὸ αἴδημον,<sup>5</sup> καὶ ταπεινόφρον, καὶ ἐπιεικὲς τῆς φύσεως, καὶ ἡ παρρήσια δυσύποιστος οὖσα τοῖς πολλοῖς. Vt enim in petendo verecundus, in sperando timidus: ita lacesitus, in respondendo liberrimus semper fui, ac pene importunus: ex iis fere vnu, quos Cicero in rebus contrariis parum sibi constare dicit. Accedit benefici vtriusque situs in abiectis locis et Luna sexti loci domina in signo morbido ab oppositione Solis recedens, et ab vtraque malefica et Mercurio afflita: quae Cardano autore vniuscuiusque geneseos semissem sibi vendicat: cui et ego illud imputo, quod a callidis hominibus saepe is habitus sum, quos haberi se minime ii volunt, qui maxime sunt, ἀβελτεροκόκκυξ, eo quod splendidam fortunam saepius et in aulis magnorum principum et in re vxoria, vltro sese offerentem, parum prudenter repudiarim. Verum illi exteriorem laruam intuentes, et quid sub<sup>6</sup> eleganti illa specie malorum lateret, aut non intelligentes, aut ambitione<sup>7</sup> atque auaritia coeci, negligentes, nihil faciunt moribus suis et sapientia, dum ita de me sentiunt, alienum. Me vero ea secutum esse, quae adhuc sequor (etsi nec molestiarum nec incommodorum expertia, τιμώμενοι μὲν γὰρ καὶ οἱ θεοὶ χαίρουσιν, ἀμελούμενοι δ' ἄχθονται<sup>8</sup>) naturam et animi et corporis mei considerantem: cuius vtriusque in consiliis

<sup>1</sup> ἐνεργείᾳ] ἐνεργίᾳ H.

<sup>2</sup> γεωργὸς] γεοργὸς H.

<sup>3</sup> ἀνακαθάρσεως] ἀνακαθάρσεος H.

<sup>4</sup> προβάτων] προβάτον H.


<sup>5</sup> αἴδημον] ἄιδιμον H.

<sup>6</sup> sub korrigiert aus si H.

<sup>7</sup> ambitione korrigiert aus ambitiose H.

<sup>8</sup> ἄχθονται] ἄχθοντας H.

capiendis, sapientissimi quique [18H] cum primis rationem habendam esse monent, neque pudet neque piget admodum, neque magnopere poenitet: eoque nomine Philosophiae meae multum debo, quae mihi sic aperuit oculos, vt falsam istam felicitatis umbram, pro qua plerique mortales inter sese digladiantur, perspiciam, nihil esse nisi laboriosam vanitatem: τῷ μὲν ἔχειν σκεπάσματα<sup>1</sup> καὶ διατροφὰς ἀρκούμενος: τὴν δὲ εὐσέβειαν μετ' αὐταρκείας μέγαν πορισμὸν ἥγούμενος. [3] In fraterna vero genesi (etsi ea quoque suos manes patitur: nec pauca habet, quae abesse malis) vtrumque lumen est cum stellis regiis, Lunam Basilisco, Solem ea quae ab Arabibus Fomahant dicitur, stella illustrissima illa quidem, sed a via Solis admodum remota, hospitio excipiente. Diuitem uxorem, eamque viduam †cum reliquis†, decernit Saturnus in suis dignitatibus et Venus parti fortunae iuncta: principem in arte locum Mercurius μεσουρανῶν, feliciter a Venere, Ioue, Saturno irradiatus, longinqua itinera Sol in nono loco, breuia ad proceres Luna in tertio, amicos ὁ ἀναβιβάζων ἐν τῷ εὐδαιμονί, liberos non negat Iupiter in 5<sup>to</sup>, sed filias potius quam filios largitur, ob signum foemineum, et nonnullos etiam aufert ὁ καταβιβάζων, cum illo infelicer iunctus, accidente praesertim Solis e nono et Martis ex 8<sup>vo</sup> loco, tetragono non multum distantis a Saturni coniunctione: οὗ τὰς σημασείας δεῖ ἀφοσιωσαμένους εὑφημα λέγειν, καὶ εὔχεσθαι τῷ θεῷ ὑπὲρ εὐγηρίας καὶ εὐθανασίας.<sup>2</sup>



<sup>1</sup> σκεπάσματα] σκεπάρματα H.

<sup>2</sup> [1] Quod sane utriusque nostrū ... εὐθανασίας und das Horoskopschema von Reiske ausgelassen.

[VII,1] [19H] Ac quae ante fratrem hunc natum mihi acciderint, aut ignoro, aut indigna<sup>1</sup> commemoratu<sup>2</sup> existimo: nisi quod aui materni, grauiter aegrotantis, meque intempestiu amore subinde contrectan[785R]tis, halitu insalubri tenerum corpusculum non parum afflictum fuisse dicitur. Genesin autem hanc paulo interuallo multa mala et domestica et publica partim antecessisse, partim secuta esse feruntur, tumultus monetariorum, in quo pater, tum Oetingae praetor, pene periisset, expeditio Francica Sueuci foederis, qua multa castella nobilium expugnata sunt et cremata, ob hospitium praebitum Ioanni Thomae Habsbergio, qui Ioachimum Comitem Oeting[ensem] foederis illius praefectum, nescio quas<sup>3</sup> ob controversias, ex insidiis intra Werdam et Harburgum<sup>4</sup> interfecerat. In hac historia duo memorabilia sunt, vnum, quod Comes a Senatu Werdensi monitus, complures equites in illis locis conspectos esse, et praesidium aliquot bombardariorum vltro pollicente, non paruit, siue quod turpe sibi duceret, in confinio ac conspectu prouinciae sua, non nisi alienis auxiliis esse tuto, siue quod existimaret, neminem ex nobilitate, ea fore perfidia, vt quicquam contra se, contra Germanicae nationis morem, non indictis inimiciis, moliretur. Alterum, quod Comitem de equo deturbatum, vhus e famulis complexus, suo corpore protexit, donec vna cum domino a latronibus interficeretur. [2] Sed ad domestica redeo. Eo tempore mater in malum incidit insanabile τῆς παραφροσύνης defuncta demum Kirchemii infra Teccam, quod est Wirtenbergicae ditionis oppidulum, vbi de victu illi prospectum a patre fuit, annis pene 30 post, pestilentia grassata est in fratrem natu maiorem et sorores, oeconomia paterna dissipata. Nec multo post et ipse ex intestino apostemate plane deploratus fui, sed chirurgi cuiusdam nescio qua potionē,<sup>5</sup> cui monocerotis ramenta innecta essent, sanatus:

Viuo equidem, vitamque extrema per omnia duco.

[786R] Cui pro nauata opera, quoties sim male precatus, meminisse pudet et piget. Nam et ingrati animi hoc fuit, et cum reprehensione diuini iudicij coniunctum. Neque enim me in ipso aetatis limine, multarum calamitatum ignarum atque expertem, extingui, sed et diutius et durius exerceri oportuit. Sed tamen plus millies cum suspiriis et gemitu cogitaui: [20H] quam bene mecum esset actum, si tum essem mortuus, et fratrem Georgium, ac sororem Catharinam comitatus? Impius atque importunus est hic affectus, sed humanus tamen, et ita quidem, vt nescio quis dixisse feratur: haud fere quenquam esse, cui, in vita diuturniore, non eiusmodi quaedam res obiiciantur:<sup>6</sup> vt se mortuum esse malit, quam viuere. Eundem Aeneae quoque suo tribuit Virgilius:

<sup>1</sup> *indigna korrigiert aus indigna sunt H.*

<sup>2</sup> *commemoratu] memoratu Reiske.*

<sup>3</sup> *quas Reiske, Christfels: quos H.*

<sup>4</sup> *Harburgum korrigiert aus Harburgum H.*

<sup>5</sup> *potionē korrigiert aus probatione H.*

<sup>6</sup> *obiificantur] obiiciatur Reiske.*

— — — O terque quaterque beati:  
Queis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis  
Contigit oppetere.

[3] Ex eo morbo recreato, distortus nonnihil est sinister oculus ex imitatione strabae ancillae, ad quam domestici nihilo me, festiuo puerulo prudentiores,<sup>1</sup> <me impulerant,> cum neque natura talis essem, nec ἐπιληψίᾳ vnquam tentatus fuisse. Hoc nonnulli a me confictum,<sup>2</sup> falso putarunt, quum (etsi parui refert) adhuc testes eius rei fide digni supersint. Facile tamen adducor, vt credam, δύναμιν φυσισκὴν leui momento impelli potuisse. Nam Saturni et Lunae quadratus aciem sinistri oculi hebetauit, eundemque Lunae et<sup>3</sup> Mercurii oppositus distorsit, vt coniicio, calamitati deformitate addita. Sed quod huic decessit, dextri acies firmissima pensauit, vsque ad annum aetatis 30, quo non modo de oculis, sed et de vita mea pene actum fuit, vt suo loco referetur.

[VIII,1] Inde vsque ad annum aetatis 11 partim in patria apud Vrsulam Gallam, piam et honestam viduam (quo tempore admodum familiaris [787R] fui Friderico Oetingensi Comiti, qui mihi, si quando rerum potiretur, magna quaedam pollicebatur, sed, vt<sup>4</sup> fit: οὐκ ἔτι γιγνώσκουσιν Ἀθηναῖοι Μεγαρῆας) partim in suburbano praedio patris Megessamio, quod is, ob arduum quoddam negotium prospere confectum, dono a Theutonicis dominis acceperat, partim Nerlingae in ipsis belli seruulis tumultibus cum sacrificulo quodam vixi. <...> non sine recordatione stultitiae puerilis. Nam et conspectu armatorum delectabar et de republica et de priuata salute minime sollicitus, eoque magis, quod a schola vacatio dabatur ob periculum, et sacrificulo defuncto, a quo plaga saepius acceperam, laetitia gestiebam, vt e grauissima tyrannide in libertatem optatissimam assertus. Neque vero siue ob inconstantiam studiorum, [21H] quam paternae oeconomiae dissipatio attulerat, siue ob inscitiam et iniurias plagi cuiusdam Orbili, multum vltra lectionem et scriptionem vernaculam profeci. Tum rogatus a patre, mallemne Latinas literas discere, an aulicum scribam, proposita (si ad virilem aetatem peruenissem) spe honesti muneris, agere? imprudens respondi, me Latinas malle. Quorum verborum cum statim ob saeuitiam potissimum agasonis magis quam magistri, poenituisse, ea tamen constantia fui, vt turpissimum ducerem παλινωδεῖν, et quiduis<sup>5</sup> potius perpetiendum esse existimarem. [2] Hic facere non possum, quin rem ridiculam commemorem. Audierat pater meus, Ciceronem scripsisse libros de Officiis, quorum inscriptionem praeclarus ille magister vernaculo sermone, audiente illo, interpretatus fuerat: Von den Ämtern. Sic autem nos appellamus, non ea quae cum virtute fiunt, sed

<sup>1</sup> prudentiores] Randbemerkung in H: hier fehlt ain verbum.

<sup>2</sup> confictum korrigiert aus confessum H.

<sup>3</sup> et von Reiske ausgelassen.

<sup>4</sup> vt] sicut Reiske.

<sup>5</sup> quiduis] quoduis Reiske.

praefecturas et quaesturas et praeturas aliasque procerum procuraciones, ad quas sane ex officio gerendas et magna prudentia et egregia virtute, abstinentia in primis,<sup>1</sup> est opus. Verum ea de re pater, Latini sermonis ignarus (nam scripta quidem nostratis linguae pleraque et sacra et profana e[788R]uoluerat) non praecipue laborabat, quod existimaret, virum bonum, et natura duce et laudatorum exemplorum obseruatione, atque in primis Christianae religionis praeceptis instructum, facile quid et consecrandum in vita et vitandum esset perspecturum. Illud putabat ibi tradi, qua ratione et dominis inseruiendum et ab agricolis vectigalia exigenda, et rationes referendae essent. Sed quum vna atque altera pagella, vtcunque ab illo exposita, longe ibi aliud agi sensisset, vanitatem atque ineptias hominis perosus, aliud consilium de me cepit. [3] Erat eo tempore Nerlingae vir excellenti facundia et doctrina Theobaldus Gerlachius, Billicanus, Theologiae Doctor, qui non tantum conciones habebat ad populum, sed subsecuens horis, etiam adolescentulos<sup>2</sup> quosdam, rogatu parentum, in Graecis Latinisque literis, et dicendi ac disserendi arte felicissime instituebat. Sed quia illius quoque seueriorem, quae ferebatur, disciplinam, quum nulla fortassis esset, aut certe moderata, et non nisi necessaria, horrerem, deprecabar id, ex inscitia aetatis, vnde vberrimos percipere fructus potuissem.

[IX,1] Itaque [22H] κατὰ τὸν δεύτερον πλοῦν, nec malo fato, Norimbergam ad D. Christoph[orum] Iulum, clariss[imum] ICtum fui missus ipso natali meo, ab eoque Sebaldo Heideni,<sup>3</sup> viro ingenio et eruditione praestanti, solertissimoque instituendae pueritiae artifici, commendatus. Id factum est anno 1527. Cuius disciplina vsque<sup>4</sup> ad Calendas Sept[embres] anni 1530 vsus,<sup>5</sup> prima vtriusque linguae elementa vtcunque didici, cum aliqua ingenii et industriae laude. [2] Non multum ante meum in eam vrbem aduentum Senatus prudentiss[imus] in Aegidiano monasterio gymnasium aperuerat, doctissimis viris accersitis. Ibi tum Graecas et Lat[inas] literas vna cum Philosophia docebat Ioach[imus] Camerarius, poëtas Latinos enarrabat H[elius]<sup>6</sup> Eobanus Hessus, dicendi artes, sacris etiam interpositis, [789R] tradebat Mich[ael] Rotingus, qui vnum adhuc Spartam suam, vt potest<sup>7</sup> difficillimis temporibus, tuetur atque ornat. In Mathematis Io[annes] Schonerus, in Hebr[aea] lingua Io[annes] Boschenstein adolescentiam instituebant, viri et diligentes<sup>8</sup> et egregie eruditii, vt optimarum artium studiosi, ac trium linguarum amantes, aliam Academiam, in eo quidem doctrinae genere,

---

<sup>1</sup> in primis *Reiske*: imprimis *H.*

<sup>2</sup> sed ... adolescentulos] sed etiam subsecuens horis adolescentulos *Reiske*.

<sup>3</sup> Heideni] Heideno *Reiske*.

<sup>4</sup> vsque von *Reiske ausgelassen*.

<sup>5</sup> vsus] vsque *Reiske*.

<sup>6</sup> H[elius] von *Reiske ausgelassen*.

<sup>7</sup> vt potest] vtpote *Reiske*.

<sup>8</sup> diligentes] diligenter *Reiske*.

non magnopere desiderarent. [3] Ad eos igitur audiendos tandem et ipse a Sebaldo praeceptore mittebar, qui<sup>1</sup> ingenio meo nimium fidebat. Nam ipsius quidem docendi ratio, captui rudiorum accommodata, nullo a me negotio percipiebatur. Sed quum illo ventum esset, immatura aetate, ac potius doctrina (tum enim annum aetatis excesseram 13, quum Latinorum vix tertium ingressus essem) vernaculae Grammaticaeque explicationi assueto, quae ad dicendi artificium,<sup>2</sup> et rerum cognitionem attinebant, noua mihi omnia, obscura, difficultia videbantur, parumque me erudiebant, rudem omnino, et non satis in primis<sup>3</sup> elementis institutum. Dices, cur non relinquebas inutile studium? Egone<sup>4</sup> relinquerem id, quo me praeceptor deduxerat, tantoque me honore ipse indignum iudicarem? Eamne tu prudentiam postules, et moderationem a puero, eoque minime callido et gloriolae cupido, quam aetate matuiore perpauci praestant? Ego vero audiebam per aliquot menses, sed ita, vt Graeco proverbio dicitur: ἔλεγέ τις δνῳ μῦθον, ὁ δὲ τὰ ὥτα ἐκίνει. [4] Sed cum tandem aures aperiri mihi, et fructus aliquis ex iis, quae tradebantur, ad animum meum redire videretur, egoque spem non vulgaris eruditionis concepissem, en tristissimis patris literis in patriam reuocor, quouis exilio tum magis inuisam. Quos tu ibi animi mei aestus fuisse? quam tristes et luctuosas cogitationes? quantas rerum omnium desperationes arbitrare? nam et natura fui ἐμπαθέστερος, et gustu [23H] quantulocunque literarum percepto, persuasum habebam, id quod Pli[790R]nius pronuntiauit, omne perire tempus, quod studio non impenderetur, illud etiam, vitam sine literis esse mortem, et hominis viui sepulturam. Itaque iratus, contra quam et adolescentulum et filium decebat, atque aegre ferens, rescribo patri, me delectari studiis, nec meo tantum sed et praeceptorum iudicio discendis literis esse aptum. A quibus si omnino me abstrahendum duceret, vel sartori vel sutori docendum traderet, eius<sup>5</sup> voluntati parere necesse mihi esse. Eae literae, puerili incogitania et intempestiu iracundia elapsae, ita commouerunt patrem, vt rescriberet: si absque clausula illa fuisse<n>t:<sup>6</sup> me voluntati suae parere velle, omnino se curaturum fuisse, vt sutorem aut sartorem magistrum haberem. Nunc eam rationem initurum, vt commodis et honori meo rectius atque melius, quam pro stultitia et temeritate mea consuleretur. Adiiciebat me literis subinde attexere clausulam obedientis filii, sed ita demum esse morigerum, si meis cupiditatibus ipse obsecundaret.

---

<sup>1</sup> qui] quod *Reiske*.

<sup>2</sup> artificium korrigiert aus artificiis *H.*

<sup>3</sup> in primis *Reiske*: in primis *H.*

<sup>4</sup> relinquebas ... Egone von *Reiske ausgelassen*.

<sup>5</sup> eius] eiusque *Reiske*.

<sup>6</sup> fuissent] fuisset *H*, *Reiske*.

[X,1] Redeo ad patrem, cui iam et ipsum tempus, nam trimestre intercesserat, et conspectus filii diu non visi omnem iram abstenserat,<sup>1</sup> accedebat commendatio praceptoris et testimonia quorundam in patria non indoctorum hominum, qui scriptiunculas meas latinas legerant et probarant, excipio non modo amanter sed et honorifice, lenitur<sup>2</sup> desiderium studiorum pollicitationibus et laudibus doctrinae atque ingenii,<sup>3</sup> me in aula quoque Caroli Wolfgangi Com[itis] Oeting[ensis] et otii aliquid ad discendum et Cancellarii Christoph[ori] Iulii ICti praestantis et omni genere literarum erudit humanissimique senis benignitate occasionem etiam<sup>4</sup> habiturum: addebat et nummorum aliquid, vt cum sodalibus potare liceret, officio modo fungerer, pecuniam mihi non defutaram. Spes etiam<sup>5</sup> fiebat aliquando in scholam redeundi, a qua pater non tam quod sumtus suppeditare grauaretur, (et[791R]si iis quoque fortasse mouebatur, non enim eam artem ipse exercuerat, qua nunc plerique praetores et quaestores paucis annis tantos reditus consequuntur, quantum censum qui tum habebat, laetus<sup>6</sup> putabatur) me abstraxerat, quam quod ei natura mea tristior et seuerior ac solitudinis quam<sup>7</sup> frequentiae amantior, aulica hilaritate diluenda et iracundia cum pertinacia quadam coniuncta consuetudine dicteriorum et iniuriarum etiam<sup>8</sup> emollienda et edomanda videbatur. [2] Nec eum sane fefellit opinio, nam qui prius eo essem animo, vt iniuriam nec ipse cuiquam faciendam nec ab vlo ferendam existimans<sup>9</sup> [24H] et leues offensas, si minus liceret manu, indignatione et conuiciis vlciscerer, et verbis et verberibus equitum et nobilium adolescentium vix equidem, sed tandem<sup>10</sup> tamen <fractus sum, vt> factus fuerim oue placidior, multaque aequo animo (aliter enim non poteram) et tulerim et fecerim, quae non ita pridem nec ferenda nec facienda esse constituissem. Τὰ γὰρ παθήματα μαθήματά μοι ἐγεγόνει. Alioqui neque capilli manibus, nec dorsum et malae pugnis centaurorum suffecissent. [3] Ipse quidem Cancellarius et prudentissimi quique inter aulicos me ob modestiam, probitatem, industriam, alacritatem inseruendi omnibus, qui operam meam requirent, diligebant. Caeterum studiis parum erat loci interdiu, cum tablinum non in Harburgensi arce esset, vbi ego et pernoctabam, et scriptione peracta diei reliquum exigebam, sed in subiecto oppido in Cancellarii aedibus. [4] Collega autem meus, qui se pro domino potius, quam collega, ob temporis et aetatis praerogatiuam gerebat, iuuenis Bachi et Veneris quam literarum amantior,

<sup>1</sup> abstenserat *Reiske*: obterserat *H.*

<sup>2</sup> lenitur korrigiert aus leniter *H.*

<sup>3</sup> pollicitationibus ... ingenii] *eventuell umzustellen*: laudibus doctrinae atque ingenii et pollicitationibus.

<sup>4</sup> etiam] *me Reiske*.

<sup>5</sup> etiam] *mihi Reiske*.

<sup>6</sup> laetus korrigiert aus tantus *H*; tantus *Christfels*.

<sup>7</sup> quam korrigiert aus et *H.*

<sup>8</sup> etiam von *Reiske* ausgelassen.

<sup>9</sup> existimans] existimarem *Reiske*.

<sup>10</sup> tandem von *Reiske* ausgelassen.

praetereaque magiae et herbariae medicinae deditus, quosuis potius quam me, in conclave, scribis in arce destinatum, admittebat. Itaque cum in publico hypocausto vel calamus ad scribendum, vel libellus ad legendum in manus su[792R]mebatur: Dii boni, qui sibili, quae dicteria, quae vellicationes, quae grando ossium et calceorum sequebatur? vt prius pene desistere cogerer, quam coepissem. Erat id adeo molestum, vt vitae me poeniteret. Sed nec patri nec domino quicquam conquerebar, quicquid morderet animum, ad Deum potius, quam ad homines deferre solitus. Nec tamen a libris omnino recedere poteram. Cum igitur et anni et diei tempus ferebat, aut in proximum montem, aut vicinum saltum me conferebam, ibique vel inambulans vel vt Tityrus ille Virgilianus patulae recubans sub tegmine fagi, horulam vnam atque alteram deliciis meis fruebar. [5] Habebam autem tum bibliothecam meo iudicio (vt qui nullam vidi sem aliam) non male instructam, D[esiderii] Erasmi Roterodami, Phil[ippi] Melanchthonis, Io[annis] Lud[ouici] Viuis, cuius introductio ad sapientiam (etsi me minime sapientem esse doleo) plurimum mihi profuit, et recentiorum Theologorum opuscula complura. Fabulas item Graecolatinas, cum Terentio, Virgilio et aliis quibusdam poëtis, quos Norimbergae de peculio meo, genio etiam fraudato, paraueram, eamque subinde aliorum libellorum accessione augebam, neglectis symposiis, neglecto vestium ornatu, satis me ornatum existimans, si libellos elegantes haberem. Legebam quidem multa, sed pauca intelligebam, [25H] quum Lexicon, e quo quicquam requirerem, adeo non haberem, vt et quid esset Lexicon ignorarem et vtrum tale aliquid in rerum natura extaret, nescirem. [6] Cancellarius autem, etsi ICtus egregius et Philosophus non contemnendus, orator etiam praeclarus habebatur, minus tamen (vt tempora illa ferebant) versatus erat in eo genere studiorum, quo ego in primis delectabar, poësi et lingua Graeca. Atque adeo quum me et ingenio valere putaret, et singulari esse praeditum studio videret, saepe hortabatur, vt omissis nugis istis [793R] poëticis, quae non ad parandas opes, sed ad mendicitatem augendam facerent, Iurisprudentiae studium amplecterer, quo et reip[ublicae] inseruire et priuatis meis rationibus consulere possem. Fortassis et illud spectabat, vt me et generum ascisceret,<sup>1</sup> et muneris sui successorem, qui de patria communi bene mereri et vellem et possem, relinqueret. Itaque optimus senex et mei amantissimus institutiones Iustiniani, quas a quodam cum commentariis dono acceperam, per otium mihi interpretabatur. Ac diligentia interpretum, qui nullam voculam inexcussam relinquerent, valde mihi probabatur. Barbaries autem verborum aequely displicebat. Praeterea cum ICtos et auaritiae et iniuriarum antistites potius esse, quam iustitiae sacerdotes, vulgo audirem, etiam religione quadam ab illo doctrinae genere abhorrebam, ignarus scilicet, eadem re et bene et male vti licere, ac bene eo magis, quo ipsa res esset melior et praestantior. Quid autem, post doctrinam Christianam

---

<sup>1</sup> ascisceret korrigiert aus adscisceret H.

est interpretatione et administratione iustitiae melius atque praestantius? [7] Cum igitur bonus ille vir et prudentia singulari praeditus, stoliditatem meam perspexisset, inuitis canibus venari velle destituit, eaque praedixit, quae malo meo, dum scholasticum hoc vitae genus persequor, per annos complures sum expertus. Est enim ea debita stultitiae merces, vt qui nec ipse sapit, nec prudentioribus obtemperat, suis consiliis fruatur. Eorum vero qui fructus sunt?<sup>1</sup> inopia, contemtus, sera poenitentia. Neque haec<sup>2</sup> scribo, quod me eius fortunae, qua nunc sum, poeniteat. Gratias enim ago Deo, et inclytæ huius vrbis magistratui, qui ita mihi prospexit, vt nec laboribus obruar, et nulla re necessaria egeam, vt qui sim ἄγαμός τε καὶ ἄγονος, quae fere summa est felicitatis meae, nequaquam inuidiosae, nisi idem sit et amentissimus et inuidentissimus. Sed quam multa perpessus fuerim, priusquam [794R] huc peruenerim, quam multas et hic aerumnas exantlarim, qui credere nolet, ipse velim experiatur. [8] Quod si patri meo, et alteri patri, Cancellario obtemperassem, nec honesti matrimonii, nec dignitatis et rei familiaris au[26H]gendaæ occasiones in ipso iuuentutis limine, defuissent. Nunc Philosophiae praesidiis magnopere mihi opus est, et ad solitudinis molestias tolerandas, et ad contemtum atque neglectum mei p[re]iis, qui non decimam partem studiosorum laborum ceperunt, aequi bonique faciendum. Quae ideo commemoro, vt adolescentes moneam, bonorum et prudentium senum consilia, suis vti cupiditatibus anteponant, quos verissime scripsit Comicus, impense cupere, et non consulere in longitudinem. Nec ego vllam adolescentis virtutem maiorem esse iudico, quam parere monitis eorum, quos longa aetas, multarumque rerum vsus erudiuit.<sup>3</sup> Sed haec extra oleas, quod aiunt. [9] Ad bibliothecam igitur meam redeo, quae cum libris maxime necessariis careret, non ita multum mihi profuit, ac plus ad minuendas molestias et qualemcumque oblectationem valuit, quam ad augendam eruditionem. Quod si optimi quique libelli de ratione studiorum et tot tam copiosa Lexica mihi suppetissent, quibus in hac Augustana schola nunc vel egentissimi vti et frui possunt, quam me beatum iudicassem? Imo patrimoniolo conseruato et studere literis et rem facere mihi licuisset, mutis p[re]ceptoribus contento. Agebam tamen quod poteram, ac satagebam potius, mouens quidem sedulo, sed parum promouens. Conciliabam mihi vigiles, qui mane ante horam 4<sup>tam</sup> me expergefacerent quotidie, conciliabam coquos, qui candelae accendenda potestatem darent<sup>4</sup> (nec enim excutiendi ignis instrumenta noueram) et centauris partim dormientibus, partim stabulo curando occupatis, ad horam vsque 6<sup>tam</sup> fere sine interpellatoribus<sup>5</sup> et hy[795R]berno tempore minime aestuans, in frigido hypocausto legebam. [10] Scribebam etiam versus (si Diis placet) et declamationes et dialogos, cum, ita me Deus amet, quid illa essent,

<sup>1</sup> sunt] est Reiske.

<sup>2</sup> haec] hoc Reiske.

<sup>3</sup> erudiuit] erudiunt Reiske.

<sup>4</sup> darent korrigiert aus dabant H.

<sup>5</sup> interpellatoribus korrigiert aus interpellatione H.

ignorarem, imitatione tantum, et captato numero, sonoque versuum. Syllabae mihi<sup>1</sup> omnes communes erant, omnes loquendi modi probati, decorum et rerum et personarum erat, quod in mentem, vel buccam potius, veniebat. Dicendi autem artificium, qualicunque ordine Germanicarum scriptionum, quibus exercebar, et Hegendorffini praeceptiunculis, quas didiceram, constabat. Quem tu ibi Virgilium recitatem? quem Lucianum disserentem? quem Ciceronem aut Demosthenem declamantem audisses? Et tamen<sup>2</sup> ex illis chartis, nonnullas de plurimis, quae perierunt, vt dignae erant, nunc anno pene quadragesimo post, si quando inspicio, non sine risu miror, talia nullis praeceptis instructo in mentem venire potuisse, et versus aliquot suis constare numeris, cum Psalterium Dauidicum heroico versu scilicet conuertendum suscepisse. [11] Degebat in vestibulo arcis vir non indoctus, et perhumanus senex, Io[annes] Caesar, parochus subiecti oppidi, multorum filiorum pater, qui omnes nunc Euangeliū variis in locis docent. Is, quum ex vno [27H] atque altero congressu, me qui et expedite latine loquerer, et prudenter respondere viderer, nec ingenio, nec doctrina, pro aetate carere crederet, rogat, vt filiis suis Terentium praelegam. Impetrat facile, praeceptorem Sebaldum imitans, Latina verbis Germanicis, quam optimis licebat, declaro, loquendi form

- as<sup>3</sup>

 excerpo, ad imitandum propono, epistolia vernacula praescribo, quae latine redderent, αὐτοφυῆς ὡν καὶ νεόφυτος διδάσκαλος, et tamen inter coecos luscus regnabam, dum auditores (quorum nonnulli aetate mihi fere pares meam castigationem non aequissimis animis ferebant) alio a patre ablegarentur. [12] Hoc modo [796R] cum amplius triennium exegisset, nunquam per Centauros quietus eram, qui me ob seueritatem, et animi contentionem assiduam, studiis quidem necessariam, sed maiorem visam hominibus stolidis, et inguinis et capitinis, quae discrimina essent, vt Satyricus loquitur, fere ignorantibus, pro Lunatico et fatuo, quum alio tempore non possent, in omnibus prandiis,<sup>4</sup> in omnibus coenis exagitabant. Ob quae cum tamdiu ridiculum atque inuisum esse, puderet et pigeret, crescente praesertim statura, tandem consilium capiebam, libris in cista conclusis aulicum agendi. Comparseram aureos aliquot a patre dono datos. Eo Nerlingam pugionem, ornatum pileolum, fascias tibialium,<sup>5</sup> et nescio quae alia crepundia, quibus aulica pubes gaudet ac superbit, emturus. [13] Sed quid fit? non post festum sed post nundinas venio, peregrini mercatores abierant, quum ea, quae desiderabam, exposita non viderem, in tabernas ingredi et percontari pudebat. Fui enim natura ita siue timidus siue verecundus, vt nec honesta et iusta, aut certe ea, quae a nemine reprehendi possent, nisi a notis et familiaribus petere auderem, et si quid turpe diceretur aut fieret, magis erubescerem, quam nunc pleraeque virgines soleant. Ea

---

<sup>1</sup> mihi korrigiert aus mihi vel H.

<sup>2</sup> Et tamen] Attamen Reiske.

<sup>3</sup> formulas] formas H, Reiske.

<sup>4</sup> in omnibus prandiis von Reiske ausgelassen.

<sup>5</sup> tibialium] tibiarum H, Reiske.

δυσωπία, vt ad turpia cauenda multum mihi profuit, ita et multis commodis meis obstitit, et in mala non pauca insontem coniecit. Rediens e foro, transeo templum D[ui] Georgii, domum re male gesta, vel infecta potius redditurus. Ibi forte fortuna bibliopolam conspicio, qui libellos non ita pridem Francofurto allatos, exposuerat. Aspicio<sup>1</sup> Valerium Maximum, Lexicon GraecoLatinum, forma 8<sup>va</sup> a Gilberto Longolio editum, quod vicem praceptoris in Graecis literis per annos complures mihi praestitit, et opuscula quaedam poëtica et Rhetorica, emo, redeo domum, eademque via atque opera cum Musis meis in gratiam redeo. [14] Quas quia in aula colendi nulla [797R] occasio, et perexigua spes erat, propter eas, quas exposui, molestias, [28H] iniurias, indignationes, de redditu in scholas dies noctesque cogito, nec prius tamen voti compos fio, quam in morbum incidissem, indignatione Veneris, vt opinor, (neque enim accusandi sunt, quos criminis conuincere non possumus) immissum, quae se p[re] Mercurio a me negligi videret, οὐκ εύπρεπή μὲν ὥθηναι, λυπηροτάτην δὲ ὑπενεγκεῖν, γονόρροιαν<sup>2</sup> καλοῦσιν οἱ ιατρῶν παῖδες. Id malum me subito inuasit, anno 1534 circa nonas Maii (si recte memini) tempore pomeridiano intentum declamationi scribendae, nescio cuius argumenti, et quidem tanto cum impetu, vt coelum terrae misceri videretur. Ac id quidem minime factum est, neque fiet, illud autem accidit, vt dum verecundia retardatus, malum id pro virili dissimulo (nam ex macie et insolito pallore satis apparebat, me occulto quopiam morbo vexari) et nescio quae medicamenta in libello quodam lecta, et imperite et frustra adhibeo, vires tam corporis quam ingenii, plurimum debilitarentur, atque animus insigni molestia conflictaretur per annos integros 7. [15] Quorum postremo ita inualuit, vt et somno me priuaret, et ad tabem redacturum videretur. Neque suspicio abest, me illo quoque anno quem dixi, 7<sup>mo</sup>, Veneris cuiusdam iram sensisse, δυσκόλως<sup>3</sup> γὰρ ἡ θεὸς ἔχει ἐρῶσα πρὸς τοὺς οὐκ ἀντερῶντας. Ridicule queritur apud Plautum miles: nimiam esse miseriam, hominem formosum esse nimis. Sed me ab ea miseria ne deformitas quidem mea et macies et imbecillitas et rusticitas, et omnium occasionum pro virili euitatio, et perpetua studiorum occupatio, vindicare potuerunt. Adeo verum est, quod nostrates dicunt, sacras aedes ingredi plures charos quam formosos. Ibi vero necessitate pudorem vincente, consulو medicum Nerlingensem, Ioannem Widemannum, co[798R]gnomento Formularium,<sup>4</sup> virum doctum et perhumanum. Is obiurgata prius stulta<sup>5</sup> verecundia mea, cum a virginibus etiam de multo foedioribus morbis libere se consuli diceret, medicamenta adhibebat, quibus etsi nonnihil leuabar, non prius tamen malum depulsum est, quam frater meus Tubingae de Leonardi Coturnini sententia, me anno 1541 in Thermas ferinas ire iussit, quarum aquae

<sup>1</sup> Aspicio] conspicio Reiske.

<sup>2</sup> γονόρροιαν korrigiert aus γονόρροιαν δη H.

<sup>3</sup> δυσκόλως Reiske: δυσκόλος H.

<sup>4</sup> Formularium] Formularius H, Reiske.

<sup>5</sup> stulta korrigiert aus stultitia H.

et tunc et postea saepius mihi salutares fuerunt. Locus hic esset admonendi adolescentes, de dupli pudore: de quo paeclare philosophatur Euripidis Hippolytus, cuius ego fatum aliquando vix euasi, nisi perexiguus iam in plerisque adolescentibus et virginibus etiam esset pudor. Sed quia haec posterius acta sunt, ad seriem narrationis redeo. [16] Etsi Harburgi et victus laetus erat, et optimi quique me charum habebant, tamen non prius conquieui, [29H] quam a patre impetrasset, vt annum vnum atque alterum se studiis meis sumtus suppedi~~<ta>~~turum<sup>1</sup> esse, polliceretur. Id enim persuasum habebam, si mediocria vtriusque linguae et Philosophiae fundamenta iecisset, me reliqua, quae ad propositum meum ficerent, priuata industria et diligentiae assiduitate, facile consecuturum.

[XI,1] Eius voti <anno<sup>2</sup>> 1535 sub Calendas Martias compos factus, Noribergam, quinto anno postquam scholas reliqueram, sum reuersus ad veterem paeceptorem meum, Sebaldum Heidenem, a lautitiis<sup>3</sup> aulicis et vini copia, ad scholasticam frugalitatem καὶ νδροποσίαν, quamquam inbecilli stomacho parum salubrem. Cupiebam enim plus animo sapere, quam palato, nec me inter pueros magistris proceriorem, ea quae exciderant, assidentem repetere, quaeque in puerili doctrina ignorabam, addiscere pudebat. Quod quotusquisque nunc est, qui facere non recusaret? Praeterea<sup>4</sup> eandem [799R] me gymnasii Aegidiani rationem ibi reperturum, quam discedens reliqueram, stulte putabam. Sed quid fit?<sup>5</sup> eo cum rediissem, Eobanus Hessus siue ob annonae caritatem siue ob auditorum infrequentiam discesserat, abierat<sup>6</sup> Io[annes] Boschenstein Hebraeus, Ioach[imus] Camerarius abitum parabat, reliqui erant Schonerus Mathematicus, sed valetudinarius, et Rotingus, artium dicendi professor. Quantopere autem temeritatis illius me tum poenituerit, qui non omnia diligenter prius explorasset, dicere quid attinet? [2] Eas igitur erroris mei poenas dedi, vt maiore et sumtu et molestia, Tubingam, quo praecesserat<sup>7</sup> Camerarius, cuius in primis (vt qui et Graecarum et Latinarum literarum doctrinam e solidis quasi fundamentis exstrueret, nihilque paruum duceret, sine quo magna constare non possent) audiendi cupidus eram, me conferrem. Ac in eo sane deceptus non fui, quod vtriusque linguae doctiss[imum] summoque in omni disciplinarum genere iudicio praeditum virum conseatabar. Sed in illo stulte ac potius calamitose feci, quod eundem de ratione studiorum meorum in consilium non adhibebam, inepta verecundia impeditus. Nam quum vtriusque linguae Grammaticae

<sup>1</sup> suppediturum Reiske: suppediturum H.

<sup>2</sup> anno ergänzt von Reiske.

<sup>3</sup> lautitiis] laetitiis Reiske.

<sup>4</sup> Praeterea] Propterea Reiske.

<sup>5</sup> fit] sit Reiske.

<sup>6</sup> abierat] obierat H, Reiske.

<sup>7</sup> praecesserat Reiske: praecesseret H.

non satis essem peritus, ac felicitate quadam ingenii potius, quam certa cognitione latine  
 graeceque vtcunque balbutirem, non modo poëtarum et oratorum explicaciones, sed  
 Dialecticos et Mathematicos et Philosophos, exiguo sane meo cum fructu (captum enim  
 illa meum superabant) eò audiebam, quod sodales quidam, nihilo me prudentiores, ita  
 necessario faciendum esse, mihi persuaserant. [3] Nondum enim ea erat inita ratio  
 (quam nunc, praeclaro sane instituto, et magno dissentium fructu, obseruari [30H] audio)  
 vt exploratis ingeniis, et doctrina adolescentulorum, vnicuique vel priuatus praceptor  
 assignaretur, vel, quae lectiones audiendae essent, prae[800R]scriberetur. Barbarica  
 tantum<sup>1</sup> illa consuetudo manebat etiam tum, vt stolidissimo et importunissimo cuique,  
 aduenas omnibus et verborum et verberum contumeliis exagitare licitum esset.  
 Depositionem vocant, quae probatio esse debebat<sup>2</sup> ingeniorum et animorum liberalis,  
 maturae aetatis et doctis viris, non petulantibus adolescentibus adhibitis. Narranda hic  
 est et vana persuasio mea de eorum, qui in Academiis versarentur, insigni doctrina,  
 quam tum in perpaucis vix mediocrem deprehendebam, et erant inter illos, qui me  
 aliosque nouitios de more subsannabant, et pulsabant, complures, qui aegre admodum  
 tria quatuorue verba s[ine] soloecismis possent proloqui. Ibi ego mecum: Hem tibi  
 Atticam eloquentiam! Vah quanta de spe decidi! Habent scilicet et Academiae suos  
 asinos Antronios, eosque et calcitrosos, et iis qui sacra Isidis gestant, elatiorens. [4] Sed  
 ad auscultationes meas redeo. Aristotelicum ὄψιαν graece preelegebat Wilh[elmus]  
 Bigotius Gallus: Dialecticam Ioannis Caesarii Gebhardus <Brastbergerus><sup>3</sup>, Euclidis  
 Geometrica Ioannes Hildebrandus. Verum erant illa mihi omnia ita admirabilia et  
 obscura, vt si aliquos ex nouo orbe aduenas sua lingua loquentes<sup>4</sup> audiuissem. Iacobus  
 vero Scheggis dialogos Luciani Graecos, Ioach[imus] Camerarius Sophoclis  
 Tragoedias, Ioan[nes] Benignus Quintilianum, Mich[ael] Veius Salustum  
 interpretabantur, quibus audiendis me quantum proficere<m><sup>5</sup> non poenitebat. Nec ita  
 multo post Sebaldus Hauenreuterus cum Norimbergensibus discipulis in Tbingense  
 collegium se conferebat, cuius praeter alia officia, quae in me conferebat, priuatae  
 quoque lectiones plus<sup>6</sup> mihi commodassent, si iis recte vti potuissem. Quia vero illius  
 discipuli Calepinum habebant, cui Graecae explicaciones additae essent, voculis hinc  
 inde conquisitis, in Graecis epistoliis, scribendisque versiculis inuicem certaba[801R]mus.  
 Iam quia Camerarius, valetudine impeditus, rarius preelegebat, ego morae impatiens,  
 quae<sup>7</sup> ab illo inchoata erant, obseruata illius interpretandi ratione, Lexicoque adhibito,

---

<sup>1</sup> tantum] tamen *Reiske*.

<sup>2</sup> debebat *Reiske*: dedebat *H.*

<sup>3</sup> Gebhardus <Brastbergerus>] Ioannes Gebhardus *H, Reiske*.

<sup>4</sup> loquentes korrigiert aus vtentes *H.*

<sup>5</sup> proficerem] proficere *H, Reiske*.

<sup>6</sup> plus von *Reiske* ausgelassen.

<sup>7</sup> quae korrigiert aus quam *H.*

conuertebam, eoque studio cumprimis mihi videbar beatus. [5] Verum subinde mordebat animum temporis a patre praefiniti breuitas, qui biennio exacto, me in aulam regis Ferdinandi, quorundam amicorum pollicitationibus fretus, ablegare constituerat. Cum igitur offerretur occasio, qua me id tempus, sine accessione sumtuum, conduplicaturum sperabam, sordidum famuli communis munus (etsi quidam vir clariss[imus] et principes et pontifices et reges, qui officio fungerentur, nihil [31H] nisi famulos communes esse, pronuntiare non dubitauit) laetus atque alacer suscepi, quod et pater, si rescisset, indignissime latus erat, et nunc mendici plerique, qua sunt ignavia et superbia, contemnerent. Qui quia μήτε φείδεσθαι μήτε κερδαίνειν, μήτε καρτερεῖν μηδὲν volunt, sed omnia quasi diuina virgula ἀκοντί καὶ ἀνιδρωτί, suppeditari sibi postulant atque flagitant, luxuque vestium, et victus deliciis cum patriciis et nobilibus certandum sibi censem, vereor, ne propediem futurum sit, vt patroni et sumtuum et impudentiae atque ignaviae pertaes, pecuniam illam in quosuis potius vsus conferendam censeant, praesertim quum vix<sup>1</sup> decimus quisque ita se gerat, vt eius vel in scholis, vel in Ecclesiis, vel in Rep[ublica] vsus aliquis esse possit. E quo grege memini <aliquem> aliquando mihi narranti, quas aerumnas amore studiorum adolescens pertulisse, vtque pleraque itinera et pedes et viae ignarus et incomitatus, hiberno saepius quam aestiuo tempore confecisset,<sup>2</sup> et Tbingae non nisi quum fontana aqua propter imbræ turbidior flueret, vinum bibisse, ferociter responsasse, num existimarem, omnes alias eadem qua me infelicitate ac tolerantia laborum et [802R] continentia esse oportere? [6] Sed quid adolescentes mireris, illud Satyrici oraculum minus reputantes:

Haud facile emergent, quorum virtutibus obstat

Res angusta domi etc.

quum etiam in barbatos Philosophos (ne Barbaros dicam) inciderim, qui ob eam rem me contempserint,<sup>3</sup> propter quam, vt laudandus non fuerim, vituperari certe <non<sup>4</sup>> debui. Nam s[i] id inopia coactus feci (neque vero vnquam rebus necessariis carui, neque stipem ab vlo exegi, et quum pauperrimus fui, amplius florenorum 400 rem habui, sumtus studiorum quidem saepius defuerunt) quod istud est Philosophiae genus, quod eum despicit, qui honesto labore victum quaeritat, Cleanthem illum, quem superbi condiscipuli ὄνον καὶ φρεάντλην per contumeliam cognominarunt, imitando? Socraticum certe non est, non Platonicum, non Aristotelicum, non Zenonium, non Carneadeum, Christianum vero multo minus. Oratoribus quidem inter sese mordentibus et Comicis ac Satyricis familiare est, inopem adolescentiam et sordidos natales obiectare iis, qui vel in pecunia sunt insolentes, vel in potestate sese extulerunt. Eum vero qui et

---

<sup>1</sup> vix Reiske: vir H.

<sup>2</sup> confecisset] perfecisset Reiske.

<sup>3</sup> contempserint korrigiert aus contemserint H.

<sup>4</sup> non ergänzt von Reiske.

modestissime viuit, et adeo neminem piae se contemnit, ut omnibus potius etiam indignis honorem deferat, hoc modo criminari, non est (ut lenissime dicam) nisi magni ardelionis. [7] Sin ob honestissimam causam stultae vulgi opiniones minus apud me, quam grauissima sapientum virorum autoritas valuerunt, et ob verum iudicium et propter animi constantiam fortasse laudari debeam [32H] potius quam suggillari. Quaero enim ex beatis istis atque semideis, honestiusne sit, calefacere hypocaustum, an foedis aestuare libidinibus? aquam et ligna portare in culinam, an<sup>1</sup> cibis confertum vino se ingurgitare? quadras et patinas abluere, an vomitu foedare cubicu[803R]lum? sternere lectum, an alieno thoro insidiari? ministrare studiosis adolescentibus, an superbe iisdem insultare? claudere et aperire fores, an egrediendi et ingrediendi tempus ignorare? libris intentum in multam noctem lucubrare, an gladiatoria ferocia plateas peruagantem, Stentoreis vociferationibus ciuium somnos interrumpere? antelucanas opificum operas mane surgendo anteuertere, an telluris inutile pondus et fruges consumere natum, in medios dies dormire? verrere paumentum, an ipsum esse περίψημα καὶ κάθαρμα τῆς ἀκαδημίας? Ac priora quidem illa omnia ego me sedulo fecisse, confiteor, et illam tenuitatem Fuggeranis lautitiis, quibus, per annos integros vndeclim, inter Barones et Comites in holosericis sellis, et splendidissimo apparatu, cum nobiles adolescentes assidenti ministrarent, vti, frui licuit, praetulisse, posteriora haec qui factitant, honestissimi scilicet iuuenci sunt, ac praeclara Ecclesiae et reip[ublicae] seminaria, columina, ornamenta, ἐγὼ δὲ διὰ τὸ σῶφρον καὶ ταπεινόφρον, ἔργων οὐδὲν ὄνειδος, ἀνεργίην<sup>2</sup> μέγ' ὄνειδος, ἡγησάμενος, ὥσπερ οἱ Μεγαρεῖς, οὔτε τρίτος, οὔτε τέταρτος, οὔτε δυωδέκατος, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ. Evidem miror istos non etiam principum virorum filios deridere, et torquatos atque holosericatos medicos, qui quas sordes Pontificii, Caesarei, regii cubiculi non exhaustiunt? Sed hanc litem rectius posteri disceptabunt, quorum aequioribus iudiciis me consolor. [8] Interim ad meam prouinciam redeo, in qua dum Iac[obo] Scheggio, rectori collegii, quam Bursam vulgo vocant, inseruio, Io[annes] Scheubelius, quem plerique nostrae aetatis Euclidem perhibent, ab illo impetrat, ut nobis Euagoram Isocratis interpretetur, quae mihi prima fuit (ut alibi scripsi) autoris illius et admirandi et perlegendi, et conuertendi ac denique saepius edendi in publicum, occasio. Assignatum mihi fue[804R]rat et cubiculum, lemuribus, ut aiunt, infestum. Quod ego quum nescirem, non curabam. Verum aliquanto post, cum per occasionem in aliud commodius immigrasse, sodales mei mirabantur, me tamdiu illic manere potuisse, rogabantque [33H] numquid noctu territus non fuisse? Ego vero nihil vnuquam horrueram, iratus fueram saepius iis, qui supra me habitabant, cum grandium saxorum intempesta nocte volutationem audire mihi viderer, vnde somno excutiebar, sed mox iterum consopiebar, male precatus importunis illis hominibus, qui

<sup>1</sup> an Reiske: aut H.

<sup>2</sup> ἀνεργίην Konjektur Wilfried Stroh: ἀνεργίης H, Reiske.

ne noctu quidem, nec ipsi quiescerent, nec me et seruitutis et studiorum laboribus fessum quiescere paterentur. Verum fiebat illis a me (vt postea cognoui) vel Epimenideum<sup>1</sup> somnum dormientibus iniuria. Narrabatur autem siue fabula siue historia (de qua suo quisque arbitratu statuat, ego id referto, quod tum celebre erat inter studentes) fuisse olim famulus communis, a nobili adolescentulo, quod is noctu pulsanti fores cunctantius aperuisset, indignante, pugione transfossus, vsque<sup>2</sup> ab eo tempore, id cubiculum, in quo miser ille animam efflasset, semper infestum fuisse. [9] Me vero nocturni illi tumultus parum mouebant, illud molestum erat, quod petulantiores adolescentuli subinde mecum expostulabant, quod inquis eorum postulatis, contra mandatum Rectoris, nocturno tempore collegii reserandi, et mendacio culpam excusandi, assentiri nolebam, quum quidem a nonnullis etiam riderer, quod dicerem, mentiri me neque velle si possem, neque posse si vellem. Quod omnino verum erat. Qua enim fronte ipse mentitus essem, aut mendacium dissimulassem, qui vel alio mentiente, statim erubescebam, tacitum vultu meo in illum dicente testimonium? Itaque rerum illarum pertaesus missionem a Rectore petebam, quaerente quid causae esset, ac defensionem pollicente, [805R] si qui mihi essent molesti. Sed ego nominare volebam neminem et accersitus a patre decumbente, honestam illam quidem, sed instituto meo plane aduersantem discedendi causam habebam.

[XII,1] Cum enim arx Oetingensis conflagrasset, et ipse suppetias accurrens, lapsus in glacie, pedes allisisset, tumor ex eo consecutus fuit cum rubore, et hydrops, natura iam ante, vt opinor, debilitata (longo<sup>3</sup> enim tempore ante, vrgente siti, etiam noctu bibere coactus fuerat) erupit. Est et de occasione illius incendii aliquid dicendum. Erant in arce tum bina hypocausta, alterum alteri impositum, fornace in id culmen per foramen educta, vt vtrinque vna calefieret. Comes autem Ludouicus senior, homo procerus et macilentus, quum hieme saeuiente, ignem multum augeri iussisset, ex ardore inferius tabulatum iuxta fornacem, paulatim inflammatum totius arcis ruinam secum traxit. Ita illud siue calefactionis compendium siue lignis parcendi studium, multis aureorum millibus constituit. Videtur et patris mei [34H] casus augurium quoddam habuisse. Nam tum in domo Teutonica habitabat, et per templum, via breuiore et commodiore, ingredi et egredi solebat. Transiturus autem cancellatum ponticulum, supra foueam eò factam,<sup>4</sup> ne pecudes locum sacrum intrarent, in eo ipso glacie vitrea obducto, concidit, quasi omine quodam, in eo templo manendum esse, in quo aliquot mensibus post sepultus fuit. [2] Post eum vero casum ad Mariam sororem meam se contulerat, aerumnosam

<sup>1</sup> Epimenideum *Reiske*: Epimenedeum korrigiert aus Epimetheum H.

<sup>2</sup> vsque] vtque H: atque *Reiske*.

<sup>3</sup> longo *Reiske*: longe H.

<sup>4</sup> factam *Christfels*: factum H, *Reiske*.

mulierem, φίλοστοργοτάτην, quo diligentius curaretur. Me vero secum habebat, tum ad fallendum taedium solitudinis, tum vt ministerio meo vteretur. Quod non fuisse tale, quale oportet, non sine molestia recordor. Praestabam enim sedulo quidem, quae<sup>1</sup> iubebar, sed ea prudentia non eram, vt vltro facerem, quae aegroto commodarent, eiusue<sup>2</sup> [806R] animum oblectarent, nugs studiorum meorum perpetuo intentus, neque reputans, quid res, quid locus, quid tempus postularet. Quam multa, si sapuissem, cum delectatione haud minore, quam vtilitate mea, tunc ex patre, plurimarum rerum perito, et publica et priuata cognoscere licuisset? Sed ego ineptus interim hexametro carmine αἰλουροκυνομυωμαχίαν et interitum Nigri exercitus, post obitum Matthiae Coruini Pannoniae Regis (quam historiam e patre audieram) et querelam Musarum Elegiaco describebam, versibus amplius 600, quos me asseruasse vellem diligentius. Nunc Προμηθεὺς μετὰ τὰ πράγματα γενόμενος, nihil habeo reliqui, nisi vt ipse mihi cum ob hoc ipsum, tum propter parentem minus solicite curatum succensem, ac naturam meam pene ipse oderim, quae me hominem fecerit, monasticae vitae, quam politicae multo aptiorem. [3] Itaque ne longa quidem aetate et consuetudine diuersissimorum ingeniorum, factus alius etiam nunc haud multum absum ab iis moribus (quod quidem ad ἀπραγμοσύνην attinet<sup>3</sup>) qui in Theaeteto Platonis describuntur. Neque enim satis verecunde illud mihi arrogare ausim, quod idem autor Isocrati nostro tribuit, ὅτι φύσει ἔνεστι<sup>4</sup> τις φίλοσοφία τῇ ἐμαυτοῦ διανοίᾳ. Hoc tamen esse verum, partim quotidiana vita, partim lucubrations meae, tum editae, tum in Musaeo meo delitescentes, nec vñquam, me quidem viuo et volente, edendae, testari possunt, me ne nunc quidem quicquam nisi libros meos, et ea, quae mei muneris sunt, magnopere curare.<sup>5</sup> Vnde fit, vt non modo quid publice, priuatimue<sup>6</sup> ab aliis geratur, fere ignorem, nisi quid obiter et aliud agens<sup>7</sup> resciero, sed et in his ipsis aedibus, in quibus dies noctesque vessor, et in solennibus congressibus non satis dextre gerere me soleam, saepe etiam ridear a nasutis. [4] Posteaquam [807R] enim ex Fuggerana familia discessi, et familiarium magnae partis<sup>8</sup> erga me studia refixerunt, qui Wolfium videntur non<sup>9</sup> propter doctrinam et probitatem (quod falso opinabar, meque putabam, quantum per aetatem et eruditione et virtute profecissem, tanto et honoratiorem et chariorem fore) sed Fuggeranum splendorem sub Wolfii nomine coluisse, aut aliquid aliud consilii, quod ipsi norunt scilicet, neque me exquirere decet, habuisse, neque conuenio fere quenquam, nisi aut vocatus aut coactus,

---

<sup>1</sup> quae] quod *Reiske*.

<sup>2</sup> eiusue] eiusque *Reiske*.

<sup>3</sup> attinet *korrigiert aus* continet *H.*

<sup>4</sup> ἔνεστι *Reiske*: ἔνεστι *H.*

<sup>5</sup> curare] amare *Reiske*.

<sup>6</sup> priuatimue *korrigiert aus* quid priuatimue *H.*

<sup>7</sup> agens *korrigiert aus* genus *H.*

<sup>8</sup> magnae partis *korrigiert aus* magna ex parte *H.*

<sup>9</sup> qui Wolfium videntur non] qui non Wolfium videntur *Reiske*.

neque conuenior ab aliis, nisi qui mea opera indigent, iique congressus plerunque sunt Areopagitici, [35H] ἀνευ προοιμίων καὶ παθῶν, μηδεμίας ἔχοντες τὰς τῶν <πραγμάτων> παρεκτροπάς. Itaque multo post ea cognosco, quae et lippis et tonsoribus nota sunt. Nascuntur multis liberi, aegrotant, moriuntur, matrimonia item contrahunt, et re ac dignitate augentur ex notis, tum intra tum extra urbem permulti, quibus quum ipsi nihil mihi significant, quid acciderit, ego nihilo magis noui, quam ea quae extra columnas Herculis geruntur. [5] Ita in frequentissima urbe et mediis turbis, ἀναχωρητὴν ago, non sine multorum, vt opinor, reprehensione, atque etiam non absque incommodis meis tam in re familiari administranda, quam voluntatibus quorundam ea de causa a me alienatis. Habeor minus officiosus, quod pompis funerum raro intersim,<sup>1</sup> quod aegrotos, quibus commodare nihil possum, non inuisam, quod magnam de aliorum rebus solitudinem non callide simulem, quod vanis pollicitationibus aures non demulceam, quod denique liberior quam<sup>2</sup> blandior οὐκ ἀσκῶ τὸν ἐπιχώριον τρόπον. Sed quid agam? quum plerosque aegrotasse non intelligam prius, quam sepultos esse audiero. Et fortassis ignoscendum est, ad exequias<sup>3</sup> non magis quam ad epulas et nuptias accedenti, nisi accersar. Quibus de causis, si qui sunt, [808R] qui minus bene de me sentiant, ii debebant et naturae meae tali, qualem exposui, et vitae solitariae, atque inter peregrinos actae, et quae has sequitur, non affectatae ignorationi, et occupationibus rerum meliorum, dare veniam, atque etiam τῆς δυσσεβοῦς εὐσεβείας rationem habere, cuius ea ratio, proh dolor est, vt neutri factioni obsequi possis, quin apud alteram et<sup>4</sup> odium capitale et crimen impietatis incurras. Vtinam vero complures hanc meam ἀπραγμοσύνην imitantes, suum et ipsi negotium agerent, me omisso, ἐρευνῶντες τὰ ἔαυτῶν μᾶλλον, ἢ τὰ τῶν πέλας, neque mihi clam obtrectarent et insidiarentur. [6] Sed ad decubitum patris redeo, qui cum de sententia medicorum Nerlingam se deportasset, neque magna spes recuperandae valetudinis ostenderetur, tristibus sane cogitationibus, tum ob hoc ipsum, tum propter neglectum studiorum angebar, adeo vt pater id animaduertens, saepe<sup>5</sup> mecum expostulans, me esse bono animo iuberet, se quandocunque Deo Opt[imo] Max[imo] visum esset, minime inuitum ex hac aerumnosa vita discessurum, mea causa potius anxium,<sup>6</sup> quem videret, minime aptum esse consuetudini hominum et rebus gerendis, vereri, quidnam tandem de me futurum esset. Interdum etiam iocabatur in staturam meam proceriorem, quum diceret, dandum mihi esse locum, cui sui calcei iam essent apti (fortassis enim ex Astrologo audierat, cum eo vsque vixisset, receptui canendum fore) et quum aliquid minus dextre obibam, subridens, vtinam, inquit, esses

---

<sup>1</sup> intersim korrigiert aus intersum *H.*

<sup>2</sup> quam korrigiert aus quae *H.*

<sup>3</sup> exequias] exequias *H:* exsequias *Reiske.*

<sup>4</sup> et] in *Reiske.*

<sup>5</sup> saepe] et saepe *Reiske.*

<sup>6</sup> anxium *Reiske:* anxisse *H.*

paulo breuior, et aliquanto prudentior. Quae verba, cum aliquando praesente medico repetisset, is accurate considerata totius corporis mei habitudine, atque in primis fronte inspecta, ne, inquit, quaeso, de filio isto sis sollicitus. Is nunc verecundia et moerore impeditus, videtur stupidior, sed progressus aetate multos superabit, qui magnum acumen prae se ferunt. [7] Pater autem, cum idem medicus morbum in autumnum usque produci posse diceret, (id quod minime factum est) me haud sane inuito (in quo saepe accuso ipse me, atque eo nomine infeliciorem hactenus fuisse arbitror, quod amori Musarum pene plus tribuerim quam pietati paternae) Tubingam redire iusso, haec mandauit. Ego, mi fili, cursum studiorum tuorum ob valetudinem meam, quam tu iuuare minime potes, non interrumpam. Tu fac Deum religiose colas, virtuti et veritati<sup>1</sup> studeas, prauorumque consortium vites, ita futurum est, ut bene tecum agatur. Ipse triduo post discessum meum, ex subita sanguinis per nares eruptione, 20<sup>2</sup> die Aprilis anni 1536 pie placideque decessit, quum quidem canes per totam noctem in ea platea lugubriter eiulassent, anno aetatis 59. idque sub festum D[ui]<sup>3</sup> Georgii factum, <ut ipse> ex indito sibi nomine coniectabat, qui idem dies, si non prius<sup>4</sup> ultimus certe in terris illi fuit. [8] Patrem amiserat quinquennis, patrimonium fratres interceperant atque absumpserant. Translatus primum est, nescio qua occasione in gynaeceum Comitis Montfortiae, ut caudatam (qui mos tunc erat,) dominae vestem pone sequens leuaret, ne humum verreret scilicet, quod cauda ista praesecta rectius cauere potuisset. Sed hae fuerunt illorum temporum ineptiae, nec minores rostratorum calceorum, et armillarum amplissimarum, ut plerique non togis sed velis amicti viderentur, et pileorum vanni latitudine, qui propediem, ut opinor, reuiuiscent. Quo minus mirere nunc caligas istas Maximini, et bullas sextarii capaces pugionum. Haud multo post vernaculis literis et arithmeticā imbutus, in Pannoniam ad Baronem Rogendorfium se contulit. Inde cum Georgio Emershofio, equite aurato, Caesaris Maximiliani aulam in Belgio et alibi secutus, tandemque [810R] in patriam reuersus, cum aliquandiu scriptio operam dedisset, ab Oetingensi Comite Wolfgango, cuius eo tempore non in Suevia tantum<sup>5</sup> magna fuit autoritas, praetor Oetingae designatus est, ac tandem praetor (Landuogtum hunc, ut illum Castnerum vulgo vocant) totius Comitatus, in quo summus is honos<sup>6</sup> habetur. Eo munere gerendo defatigatus, ut gustum aliquem libertatis, post laboriosam non minus, quam honorificam, annorum amplius 50 seruitutem perciperet, anno superiore se abdicarat. [9] Sed ego vix Tubingam attigeram, cum tristissimo nuntio, quem animus, tabellario conspecto, statim praesagiebat,

---

<sup>1</sup> et veritati von Reiske ausgelassen.

<sup>2</sup> 20 korrigiert aus 25 H.

<sup>3</sup> D[ui]: G. H. S. Reiske.

<sup>4</sup> primus Reiske: prius H.

<sup>5</sup> non in Suevia tantum] cum in Suevia fui Reiske.

<sup>6</sup> honos korrigiert aus honor H.

herciscundae familiae ergo, accensor, ibique rebus vtcunque compositis, in eo eram, vt fratrem, quem ad Latinas literas discendas ante mecum Norimbergam adduxeram, etiam [37H] Tubingam transferrem. Quo tempore vterque nos parum decore gessisse visi fuimus, cum et ceremonias parentalium negligeremus, nec lugubri veste vteremur, quod illa et superstitiosa esse et superuacaneae occupationis audissemus. [10] Ac dum rei familiaris constituendae causa duos circiter menses, in patria commoror, bis salus mea periclitata est, semel, quum frater bombardam ex armamentario patris, eo genere, et caeteris, ad rem equestrem pertinentibus probe instructo, depromtam, per iocum in me direxisset, glande supra caput meum euolante, quam ille nullam inesse putarat. Deinde, quum aeris alieni redigendi causa pagum quandam ingressurus essem (grassantibus autem tum incendiariis nescio a quo (varia enim ea de re feruntur) in Germaniam immissis, agricolae diurnas nocturnasque excubias agitabant, venabulis, balistis, bombardis armati) cum bombardam gestarem, et cornu<sup>1</sup> puluere plenum e<sup>2</sup> collo de more suspendissem, fatuus quidam homo de excubitoribus, incendiarium ratus, sagittam in me dire[811R]cturus fuit, nisi ab alio,<sup>3</sup> qui me norat, prohibitus fuisse. Fuit et mihi et fratri pueris admodum, periculum non admodum dissimile. Cum enim pater bombardam in mensa instrueret, nosque e regione sederemus, globus fortuito laxatus, inter me et fratrem parieti infixus fuit, Deo nos protegente. [11] Admonet me haec commemoratio alterius euentus recentioris, quem propterea recito, vt adolescentes suspiciones non minus, quam sclera ipsa cauenda sibi esse intelligent. Redibam anno 1566 è Thermis ferinis, quas tum valetudinis, tum requiescendi causa, et ingenio et corpore perpetuis scriptionibus defatigato, adieram. Pernoctaram in oppidulo, quod ab anguillis nomen habet, in confinio Wurtenber<gen>sis<sup>4</sup> et Oetingensis ditionis. Cum autem ab auriga, e cerebro laborante (qui morbus tum ἐπιδήμιος iis in locis erat) nullo pretio impetrare potuisse, vt me vna cum amanuense<sup>5</sup> meo Ioanne Scheirlino, in currum admitteret, (alterutrum enim homo vecors recipiebat, vtrumque nequaquam) ego veritus, ne adolescentulus viae ignarus, et itineri faciendo non assuetus in vasta silua (Herdfieldiam<sup>6</sup> vulgo a duricie et siccitate vocant<sup>7</sup>) aut aberraret, aut animum<sup>8</sup> desponderet, curru illi et sarcinulae concesso,<sup>9</sup> ego quamuis cum ex insomnia illius noctis, atque inedia aeger, tum debilitatis neruis e 20 dierum natatione in Thermopylis,<sup>10</sup> pedes<sup>11</sup> iter asperum, ac

<sup>1</sup> cornu korrigiert aus eorum H.

<sup>2</sup> e] de H, Reiske.

<sup>3</sup> alio] illo Reiske.

<sup>4</sup> Wurtenbergensis Reiske: Wurtenbersis H.

<sup>5</sup> amanuense] amanuensi Reiske.

<sup>6</sup> Herdfeldiam] Herdfeldium Reiske.

<sup>7</sup> vocant] concesso H: appellant Reiske.

<sup>8</sup> animum Reiske: nimium H.

<sup>9</sup> sarcinulae concesso] sarcinula concessa Reiske.

<sup>10</sup> Thermopylis] thermis Reiske.

<sup>11</sup> pedes Reiske: pedis H.

ne mihi quidem satis notum, solus sum ingressus. [12] Cum autem sub meridiem (pridie paschatos id factum est) in pagum Trochtelfingam peruenissem, ita fui defatigatus, vt toto corpore tremens, et pedes et manus subinde iactarem. Caeterum hospita, cui non ita pridem cremata domus et vix reparata fuerat, nescio quid suspicans e gestibus meis, quos vt ingens defatigatio attulerat, sic illa aestum animi e scelerum conscientia ortum, ac diuinitus immissum, vt [812R] poenas darem, vt coniicio, rata, me discessurum horta[38H]batur, vt paulisper manerem, dum sui ex agro redirent, commodaturam esse equum, qui me Nerlingam perferret. Ego vero nihil mali suspicans, sed misericordia motam defatigationis meae rationem habere credens, expecto. Verum illa non equum sed lictorem adiunctura mihi fuit, quem suas aedes incendisse putabat. Ingreditur tandem lictor: propino illi poculum: tum muliercula, quae interim deplorata clade sua, se in primis optare dicebat, vt sceleratus ille homo poenitentia acta, hīc potius quam apud inferos plecteretur, quid vetat, inquit, cum hospite isto bibere? Is poculo exhausto, me diligenter contemplatus, gratiis actis discessit. Ego vero cum equum peterem, negabat illa vllum adesse, meque hortabatur, vt pedetentim reliquum itineris conficerem. [13] Evidem puto siluam illam naturae meae et genio infestam esse: praeterquam enim quod Tubingam abiens et rediens, saepe in illa aberraui, quum post obitum patris domum redirem, seductus siluestri quadam semita, in loca perplexa et inuia sum delatus, et post duarum aut trium horarum spatium e densis vepribus magna cum molestia et defatigatione vix eluctatus, tandem in conualle in fonticulum incido, aestuans atque anhelans, et vt sum natura siccissima praeditus, et sitis impatientissimus, audiisse ingurgito frigidam, nec multo post, casam vicinam ingressus, quum praeter lac nihil ibi praeveretur, laesi hepar, vt ab eo tempore in hunc vsque diem dolores hypochondriacos subinde sentiam, praesertim cum vinum non satis coctum a sole, cuiusmodi pleraque Neccarica sunt, aut alioqui infecta, bibo. [14] Quae mihi causa est, optima quaeque vina expetendi et obtrectatoribus occasionem, vt video, datura est, τοῦ εἰς οἴνοφλυγίαν ἡμᾶς διαβάλλειν. Ego vero non sobrium et temperantem, sed ἀβέλτε[813R]ρον ac vecordem eum existimo, qui omissis iis, quae suae valetudini conducunt, deteriora consequuntur. Satis est haec boni consulere, cum meliora non suppetunt. Scio et a Pseudostoicis quibusdam:

Qui Curios simulant, et Bacchanalia viuunt,  
hilaritatem, et iocandi licentiam in conuiuiis et congressibus amicorum meam, quae vtraque in hac vrbe rariora sunt, quam et valetudini et studiis meis expedit, exagitari magis quam improbari, qui non considerant, me, in Museo et lectulo meo Zenone et Xenocrate seueriorem, meo quasi iure hoc mihi sumere, vt inter epulas, quas decet hilaritas, frontem nonnihil exporrigam, et linguae, domi τῇ Πυθαγόρου ἔχεμνθία

assuetae, sine cuiusquam iniuria et contumelia<sup>1</sup> frena laxem. [15] Equidem esurire malim, quam eorum esse conuiua, quorum ii vultus sunt, tam triste silentium,<sup>2</sup> quasi a tumulo parentum et liberorum modo redissent. Non me isti conuiuatores, sed Minoëm, Rhadamanthum,<sup>3</sup> Aeacum, Proserpinam, Sisyphum, Tantulum inuitanto, aut lachrimis extillantem Niobem, vnaque cum illis ὄργανον [39H] (vt Comici verbis vtar) βλέποντες καὶ σκυθρωπάζοντες perpetuo sese oblectent. Me et studiorum laboribus fessum, et perpetuis intestinorum doloribus afflictum, respirare aliquando, et iucunditati<sup>4</sup> dare animum patiuntor, sibique ipsi illud, quod Plutarchus scribit, subiiciunto, ὅτι Μεμίου τινὸς ἐν συλλόγῳ φήσαντος, ὅλας τὸν Κάτωνα μεθύσκεσθαι<sup>5</sup> τὰς νύκτας, ὑπολαβών ὁ Κικέρων, ἐκεῖνο δ' οὐ λέγεις, εἶπεν, ὅτι καὶ τὰς ἡμέρας ὅλας κυβεύει: τουτέστιν, ὅτι πρὸς τὴν πολιτείᾳ καὶ τοῖς δημοσίοις πράγμασιν, ὅλας τὰς ἡμέρας ὧν, καὶ κωλυόμενος φιλολογεῖν, νύκτωρ καὶ παρὰ πότον συγγίνεται τοῖς φιλοσόφοις. [16] Ego vero Deo gratias ago, qui eam mihi naturam dederit, quae et contentionem animi atque ingenii constanter ferre possit, eandemque per tempus ita relaxare, vt si omnibus [814R] voluptatibus perpetuo circumfluerem, oblitus occupationum, repudiataque vellicantium etiam in mediis conuiuiis subinde dolorum hepatis et stomachi memoria. Quibus tamen remedii aliquid attulit Achilles Gasserus, celeberrimus medicus, puluere iecoris lupini, et rhabarbaro, atque aliis quibusdam rebus ei confectioni, quam διὰ ρόδων vulgo vocant, admistis. Neque parum nux siue myristica, siue muscata, quam χρυσοβάλανον quidam<sup>6</sup> esse putant, profuit, cui me complures vitae annos iure meritoque acceptos referre arbitror, alioqui ex cruditate a vinis crudis, dilutis, infectis, orta, crebroque excruciantे, breui peritum. Habere atque affirmare incerta<sup>7</sup> pro certis, dubia pro compertis, non est meum. Si quid tamen pluribus experimentis fidei habendum, plane persuasum habeo, si me fata in locum aliquem boni vini feracem, cuiusmodi pleraque Rhenensia sunt, detulissent, me, omnium morborum expertem, ad eum terminum vitae, qui diuinitus mihi constitutus est, et ad eam metam, quam fas transcendere nulli, fuisse peruenturum. Huius opinionis meae ratio haec est. Finge me hodie bibisse vinum et generosum et lene, quale Horatius, cum ad mare venisset, requirebat. Noli dubitare, quin Wolfium tuum visurus sis animo hilarem, corpore alacrem, ingenio promptum et excitatum. Propina tum<sup>8</sup> mihi cras Scythicum<sup>9</sup> acetum (etsi te, mi Oporine, potius de interiore nota Falerni depromturm scio,) contraria videbis omnia, et quidem congruentia fatis meis,

---

<sup>1</sup> contumelia korrigiert aus contumelios- *H.*

<sup>2</sup> silentium] flentium *Reiske*.

<sup>3</sup> Rhadamanthum *Reiske*: Rhadamanthus *H.*

<sup>4</sup> iucunditati korrigiert aus iucunditate *H.*

<sup>5</sup> μεθύσκεσθαι korrigiert aus μεθύσκεσθαι ὅτι *H.*

<sup>6</sup> quidam *Reiske*: quidem *H.*

<sup>7</sup> incerta *Reiske*: incerto *H.*

<sup>8</sup> Propina tum *Reiske*: Propinatum *H.*

<sup>9</sup> Scythicum *Reiske*: Scyticum *H.*

quae mihi dederunt naturam et corporis et animi alacrem, sed vtramque imbecillem, et leuissima quaque re debilitandam. [17] Sed vt ad seriem narrationis redeam, etsi haec cum illa fere cohaerent, minis<sup>1</sup> illis bombardarum et balistarum euitatis, et praedio quodam, a patre delectationis ergo constructo, pessime vendito (quod enim aureis am[815R]plius 500 constiterat, emtori 100 non integris addiximus, propter controvuersias quasdam, quas ii nobis mouebant, qui loci illius iurisdictionem sibi vendicabant) iter Tübinger adorno, in quo denuo [40H] propter bombarda gestationem, in periculum incidissem, ob interdictum a Wirtembergensi duce Huldricho, siue post recentem restitutionem saluti suae metuente, siue incolumitati ferarum consulente, tormentorum vsum, nisi eam<sup>2</sup> Gemundae Sueuicae (a faucibus montium, intra quos situm est oppidum, id nomen accepit nostrate lingua veteri, quo eodem nomine et fluminum ostia vocantur) mature admonitus, in arcum fratri mei inclusissem. Itaque postea nunquam id armorum genus attigi, vt quod exitio potius, quam saluti mihi fore videretur, tot malis om*<i>nibus*<sup>3</sup> sese offerentibus.

[XIII,1] Tübinger conducto conclavi totum me iurisprudentiae dedere constitueram, rationibus ita subductis, sed (quod nostrate prouerbio dicitur) hospite non adhibito, vt de patrimoniolo,<sup>4</sup> quod 600 aureorum summam excedebat, in adipiscenda laureola semisse consumto, subsidi tamen aliquid haberem, dum honesta occasio quaerendi victus siue in aula siue in Academia offerretur. Paraueram corpus, quod vocant, iuris ciuilis, audiebam Melch[iorem] Volmarum, institutiones Theophili graecas, et Ioach[imum] Minsingerum Iustiniani<sup>5</sup> latinas enarrantem. Audiebam item Barth[olomaeum] Amantium, titulum Pandectarum de statu paupertatis et seruitutis <explicantem, in quo> per omnem vitam mihi videam esse permanendum. Intereram etiam preelectionibus Io[annis] Sichardi, et cuiusdam Kaltii, qui partim ob occupationes, partim ob valetudinem rarius preelegebant. Sed perinde erat, siue pauca siue multa audirem, quum illa multo minus quam Philosophica intelligerem. Gloriatur Cicero, si qui sibi stomachum fecerint, se vel triduo fore ICTum, quod mihi non [816R] tam facete, quam <et serio<sup>6</sup>> et vere dixisse videtur, vt qui vtrique Scaeulæ tot annos familiaris fuisset, eorumque prudentia fieri doctior studuisse. Ego vero ne tribus quidem mensibus id consequi potui, quod nonnulli ab iis breuiore etiam spatio impetrant, qui accipiunt pecuniam, et remittunt asinos in Germaniam. [2] Interim frater in periculosam dysenteriam incidit, quae me valde occupatum et multo magis solicitum habuit, quo

---

<sup>1</sup> minis korrigiert aus minus H.

<sup>2</sup> eam korrigiert aus eum H.

<sup>3</sup> ominibus Reiske: omnibus H.

<sup>4</sup> patrimoniolo] patrimonioli H, Reiske.

<sup>5</sup> Iustiniani korrigiert aus Iustinianum H.

<sup>6</sup> et serio Ergänzung Wilfried Stroh.

praeter spem recreato, me Iliaca grauissima et pene desperata inuasit, quo malo amplius  
 4 menses summo cum dolore conflictatus, ac vix tandem sororis Annae in monasterio  
 Zimmerensi cura diligentissima, et Io[annis] Widemann, cuius supra facta est mentio,  
 curatione sum restitutus. Quicquid Fuchsius Tubingae medicamentorum adhibebat,  
 cedebat pene in diuersum, alter autem ille 4 haustibus potionis cuiusdam e Rhabarbaro  
 et [41H] aliis id genus rebus confectae, ita me confirmauit, vt qui ante paucos nihil nisi  
 exequias cogitaram, prae alacritate, relicto lectulo, exilirem. Sed doloribus sedatis,  
 morboque profligato, ea cerebri debilitas erat (credo e diurna insomnia, crebraque  
 vomendi necessitate, quas malum atrocissimum afferebat) vt Tubingam reuersus, etsi  
 valebam, tamen quum studiorum labores, propter oborientem, si quid attentius  
 meditarer, vertiginem, ferre non possem, de literis actum esse putarem. Itaque de alio  
 vitae genere, in quo et non ita pridem versatus fuisse, inuitus quidem, volens tamen,  
 quia ita necesse videbatur, cogitandum mihi esse duxi, quum si paucos menses  
 expectasse, nihil mutatione fuisse opus. Verum ita fert natura mea, vt instantia mala,  
 perpetua fore existimem, neque res meliores polliceri mihi audeam, hac vna fere in re  
 Lacedaemonius, de quibus apud Thucydidem Corinthii sic pronunciarunt: τὸ ὑμέτερον  
 τῆς τε δυνάμεως ἐνδεᾶ [817R] πρᾶξαι:<sup>1</sup> τῆς τε γνώμης, μηδὲ<sup>2</sup> τοῖς βεβαίοις πιστεῦσαι: τῶν  
 τε δεινῶν μηδέποτε οἴεσθαι ἀπολυθήσεσθαι.

**[XIV,1]** Agebat eo tempore Wirceburgensis episcopi, Conradi Tingii procancellarium  
 Ioannes Wüest,<sup>3</sup> ICtus, popularis meus. Afferebam commendationes ab Hauenreutero ad  
 Mart[inum] Rotenhanium<sup>4</sup> aulae praefectum, et a Ioach[imo] Camerario, quamuis  
 institutum meum valde improbante, ad Mart[inum] Merclinum<sup>5</sup> et Vitum Nichthenum,  
 quorum ille me in aedes suas recepit, hic pro virili adiuuit et ornauit. Ad ipsum autem  
 episcopum meo nomine scripserat Carolus Wolfgangus Comes Oetingensis, afferebam<sup>6</sup>  
 et ipse Latinum epistolium. Quod cum Laurentius Frisius Secretarius, qui autoritate et  
 gratia (et merito quidem suo, vt qui esset vir doctissimus et integerrimus) primas apud  
 principem prudentem et non ineruditum et moderatum, tenebat, non improbasset,  
 petebat a me, vt fidem meam per omnem aetatem Cancellariae Wirceburgensi  
 astringerem, spe facta, si fidem meam et industriam probassem, fore vt per occasionem  
 rebus meis optime consuleretur. Causam perpetuae obligationis, vt vocant, afferebat<sup>7</sup>  
 eam, quod scribae arcana principis pleraque resciscerent, quae non sine periculo

---

<sup>1</sup> πρᾶξαι] πράξασθαι Reiske.

<sup>2</sup> τε γνώμης, μηδὲ Thucydides 1,70: τε γνώσης, μήτε H: δὲ γνώσης, μήτε Reiske.

<sup>3</sup> Wüest] Winst H, Reiske.

<sup>4</sup> Rotenhanium Reiske: Rotenhauium H.

<sup>5</sup> Merclinum] Merdam H: Mierdam Reiske.

<sup>6</sup> afferebam korrigiert aus offerebam H.

<sup>7</sup> afferebat korrigiert aus afferebant H.

efferrentur. Ego vero gratiis actis cum postulationem istam non aliud,<sup>1</sup> nisi vrbanam repulsam me iudicare dicerem, negabam adolescentiae meae tempus ferre talem conditionem, quod nondum statuere possem, in quo vitae genere aetatem peracturus essem. Rogare, si fieri posset, vt per annum vnum atque alterum<sup>2</sup> aulae illius periculum facere mihi liceret. Non esse ea me dementia, vt arcana principum tacenda ignorarem, nec ea perfidia, vt effutirem quicquam, quod tacitum [42H] oporteret. Delectatus hoc responso secretarius, rem ad episcopum refert, caeterisque patronis suffragatis, facile impetrat. [2] Itaque paulo post [818R] Calendas Ianuarias anni<sup>3</sup> 1537 ex infelici ICto fio aulicus non multo felicior. Neque enim quod discerem admodum erat, neque in quo operam aliquo nomine dignam nauarem. Describebam acta forensia, et scribebam epistolia ad paganos praefectos, quos Zentgrafios vocant, quasi decumanos dicas. Hoc meum munus erat, merces, victus in arce, et aliquot vlnae rubri panni, praeterea nihil. Caeterum in eo loco satis commode vixi, patronosque habui bene mihi cupientes, qui in sacerdotiis impetrantibus, si voluissem, alacriter me adiuuissent. Habebam enim subinde mecum in scriptura libellos graecos et latinos, quos per otium (quod saepiuscule dabatur) lectitabam. Ea me res ICtis et aliis viris doctis commendabat. Erant et sodales plerique homines candidi et festiui, quorum consuetudine admodum delectabar.<sup>4</sup> In his praecipui<sup>5</sup> fuerunt, quanquam et aetate et dignitate superiores, Petrus Claromannus, Secretarius, Andr[eas] Stahelius,<sup>6</sup> Vitus Nichthenus, Petrus Brando, Mart[inus] Crontallus, et alii nonnulli, cum quibus et libere nugabar et conuiuia hilariora quam sumtuosiora agitabam. Confecerant ii librum, quem Nugas inscripserant, in quem omnia minus probabilia referebant. In eo et meum nomen extat, quod ex imitatione strabae ancillae me strabum esse factum asserebam. Sed addebat homo quidam facetus appendicem: ancillam eam, peluim aeneam, cum in sinu me gestaret, tenere solitam obuersam soli, vnde e refractione radiorum distortio illa accidisset. [3] Caeterum quia per totam quadragesimam, contra consuetudinem meam, non nisi pisces, eo<s>que<sup>7</sup> vt in aulis solet, non optime coctos esitaram, mense Iunio, cum ipse annus esset torridus admodum, in febrim ardentissimam, quae in paroxysmis etiam delirium afferebat, incidi. Consulo, de sententia hospitis mei, Iudeum quandam, qui [819R] suadebat venae sectionem. Accedo chirurgum, hominem imperitum, vt apparebat. Is enim fere dimidiam peluim meo sanguine complebat,<sup>8</sup> me plane ignorantem, qui modus seruandus esset. Tonstrinam egressus, oborta oculis caligine et viribus deficientibus subsideo

<sup>1</sup> aliud korrigiert aus aliter H.

<sup>2</sup> vnum atque alterum korrigiert aus vnum alterumue H.

<sup>3</sup> anni] anno Reiske.

<sup>4</sup> delectabar korrigiert aus delectabatur H.

<sup>5</sup> praecipui] praecipue Reiske.

<sup>6</sup> Stahelius] Stehelius Reiske.

<sup>7</sup> eosque Reiske: eoque H.

<sup>8</sup> complebat korrigiert aus consulebat H.

paulatim, et a tonsore vtcunque recreatus domum redeo, ita curatus, vt ad febrim accederet profluum sanguinis per nares, et ita quidem diluti, vt hydrops omnino securus fuerit, nisi adolescentiae robur ei malo restitisset. [4] Aliquot hebdomadibus post cum mane intolerabili siti [43H] cruciarer, ingurgitaui frigidam, non quidem ad satietatem (metuebam enim, ne idem mihi accideret, quod aliis nonnullis, qui siti restincta etiam vitam extinxerant) sed vt leuatus nonnihil viderer. Prodeo in forum, acida cerasa emo, quibus auide deuoratis, in idem malum incido, profligata febri, vorsuraque calamitosa facta, quo Tubingae laborâram, item e cruditate contracto ex immaturis vuis et musto pirorum agrestium. Tanti 4 digitorum breuis delectatio mihi constitit. Desperata porro denuo salute mea, in grauissimis cruciatibus suasu medicorum et hospitis mei (qui fortasse me alibi quam domi suae mori malebat) reuehor<sup>1</sup> in patriam, ibique sororis Mariae singulari diligentia sub autumnum recuperata valetudine, coactoque viatico, redeo Wirceburgum, et vt mihi sub Calendas Martias in Academiam redeundi potestas fieret, impetro.

[XV,1] Conferebam autem me Witebergam Phil[ippi] Melanchthonis fama inprimis<sup>2</sup> impulsus, cui etiam commendabar per Matth[aeum] Irenaeum. Addiderat et Vitus Nichthenus literas ad Marcellum, qui alia occasione absenti conciliatus, saepe ad me et perhumaniter scripsit, et ad Milichium, quas quia sigillum, durata frigore cera, exciderat, reddere non audebam. Antecesserat familiaris Tubingae meus, Sebast[ianus] Vestebergius vere nobilis adolescens, cuius au[820R]xilio non parum fidebam. Sed nec ibi res prospere cedebant. Nam curatorum negligentia supellex mea libraria, fere semestri post, eo afferebatur, eaque iam accepta, pecunia et segnius, et minor, quam necessitas mea postularet,<sup>3</sup> submittebatur. Interim ego audiebam Melanchthonem, Lutherum, Winshemium, Amerbachium, Rhaeticum,<sup>4</sup> Reinholdum, priuatim etiam Henricum Luneburgensem, qui Dialecticam et Rheticam paelegebat. Describebam et annotationes magistrorum in eos autores et artes, quas<sup>5</sup> non integras audieram, quae pleraequem<sup>6</sup> adhuc inter chartas meas extant. Frequentabam et Bibliothecam principis, quae singulis diebus Iouis aperiri solebat, donec homo quidam nefarius, compilatis ac potius concisis libris aliquot ob membranas, suo scelere effecit, ne quisquam postea in eam, nisi precario, admitteretur. In ea bonam partem commentariorum Aristophanis descripsi, et manuscriptos nonnullos graecos libellos, inter quos erat Hermes Trismegistus, rem ante nunquam visam, vehementer fui admiratus. [44H] Ac in graecis

<sup>1</sup> reuehor] reuertor Reiske.

<sup>2</sup> in primis Reiske: imprimis H.

<sup>3</sup> postularet korrigiert aus postulabat H.

<sup>4</sup> Rhaeticum] Rheticum H, Reiske.

<sup>5</sup> quas korrigiert aus quos H.

<sup>6</sup> pleraequem korrigiert aus pleraque H: pleraque Reiske.

literis et latinis faciebam aliquod operaे pretium, in mathematis et Astrologia, quod elementorum cognitione destituebar, non ita multum proficiebam. Offendebar praeterea sordibus eius vrbis, in qua non modo cadauera pecudum in plateis iacerent, sed omnium foeditatum sentina in eum riuum coniiceretur, vnde et cibi et potiones coquebantur.

[**XVI,1**] Vrgente igitur ἀχρηματίᾳ, post idus Iulii 1539 praeceptor meo Sebaldo loco operam et discipulos priuatos domi, et publicos in schola per octonas horas docendi. Quos ego labores alaci animo capiebam, atque interim in graecis literis sedulo elaborabam, conferendis omnium, quos<sup>1</sup> habere poteram, conuersionibus cum ipsis autoribus. Praemium erat annum nostrates floreni 16 et cibus frugalis cum modica cereuisia. Accidit autem [821R] aliquando, vt cum exercitationis causa Electram Sophoclis conuerterem, Vitus Theodorus Sebaldinus Ecclesiastes ad prandium inuitatus, aliquot pagellis percursis, et non sine honorifico ingenii diligentiaeque meae elogio approbat, efficeret, vt floreni 14 stipendio adderentur. Ego vero me valde lautum putabam, qui tantos reditus haberem, et festiuis diebus cum collegis et familiaribus, Matthaeo Vogelio, Io[anne] Brunone, Simone Musaeo et aliis quibusdam iucundissime viuebam. Inter haec, cum et graecos et latinos versus vtcunque scriberem, et discipulorum in docendo applausum consequerer, (hoc enim affirmare ausim, me nusquam discipulos mei studiosiores<sup>2</sup> habuisse, quam Noribergae, quo tempore omnium tenuissima eruditione fui,) nomen meum paulatim etiam proceribus innotescebat, quorum nonnulli de<sup>3</sup> honestiore loco prospectum mihi cupiebant. Sed nescio quo fato illorum consilia impediabantur. Itaque in eo pistrino haesi, minime quidem inuitus, vsque ad Calendas Ianuarias anni 1541.

[**XVII,1**]. Tum vero nouatis religionis ceremoniis (quid enim religionem dicam? quae quam plerisque curae sit, facta potius quam dicta declarant) in patriam vocatus, ludum aperui, mediocri mercede, successu nullo. Accedebant molestiae, {quas<sup>4</sup>} ex affinis, senis parci et iracundi intemperiis, qui sororem meam, non ita vt aequum erat, tractabat, et morbus, cuius supra mentionem feci. Praeterea merces maligne et intempestive numerabatur, neque schola magnopere cuiquam cordi erat, nisi parocho, Ge[orgio] Cargo, qui et vocandi mei Comiti autor fuerat, et in aedes suas habitatum [45H] me receperat. Is cum solus parum posset,<sup>5</sup> et ego sordes illas moleste ferrem: Viti Theodori commendatione fretus Vitebergam ad Melanchthonem redii, non tam studendi, quam

---

<sup>1</sup> quos] quas H, Reiske.

<sup>2</sup> studiosiores korrigiert aus studiosissimos H.

<sup>3</sup> de Reiske: he H.

<sup>4</sup> quas von Michel ausgelassen.

<sup>5</sup> posset korrigiert aus esset H.

scholasticae conditionis expectandae ergo, quae mihi sub [822R] Calendas Ianuarii anni<sup>1</sup> 1543 Mylhusae Tyringiae oblata fuit.

[XVIII,1] Iusserat Melanchthon conueniri se Lipsiae in Camerarii aedibus, vbi etiam Alexandro Alesio Scoto praesente, cum alia<sup>2</sup> erudite et iucunde disserebantur, tum vero de nomine meo ad formam latinam aut graecam reuocando. Sed cum neque Vulpius neque Vlpius placeret, Melanchthon me Lycium appellabat, quo per aliquot annos fui vsus latine scribens, nec mutauit prius, quam aliquid in publicum edere coepisset, iubente Christophoro Julio, haud scio quibus de causis. Itaque Wolfii nomen hactenus retinui, quamuis improbante Vito Amerbachio barbarem literam W meque rogante, vt vel sibi Bolfius esse vellem. Cui ego per iocum hoc disticho respondi:

Ὀλβίος esse velim, si quid mea vota valerent.

Nunc, quia fata negant, Wolfius esse volo.

Sed parum refert, quo nomine appeller, quod, tametsi liberos haberem, non diu duraturum fuisse, nunc vero nemini, me defuncto, notum, aut curae erit, nisi forte studiosis adolescentibus. Illud permagni refert, atque in primis<sup>3</sup> optabile est, nostra nomina scripta esse in libro vitae. [2] Acceptis igitur tum a Melanchthone literis, qui me bis suae<sup>4</sup> mensae adhibuerat, non tam lautitiis epularum, quam sapientissimorum sermonum affluent, Mylhusam me conferebam, vrbum non ita pridem Euangelicam doctrinam, non tam sua sponte, quam iussu principum Io[annis] Friderici El[ectoris], Mauritii principis, et Landgrauii Hessiae, qui nescio quid iuris in eam sibi, ob rusticum tumultus iniurias, vendicabant, amplexam. Haerebant et adhuc in animis ciuium studia doctrinae Monetarii et Pfeiferi cuiusdam, qui eloquentia et portentosis dogmatibus suis, Tyringiam vt Pericles olim βροντῶν καὶ ἀστράπτων Graeciam, perturbarant. Magistratus plerique pontifici fauebant, scholae nouae destinabatur Fran[823R]ciscanum<sup>5</sup> monasterium, nec dum parata erant subsellia, nec alia prouisa atque administrata, quae ad rem pertinebant, eaque quibus opus erat, vix lente extorquebantur. Habebam collegas duos,<sup>6</sup> qui singuli antea singulas scholas rexerant, qui se in mutatione illa, satis aequos et moderatos praebebant. Verum ciues plerique agriculturae dediti, latinas et graecas literas non magni faciebant, vt raro vltra<sup>7</sup> 12 auditores haberem, quibus vtriusque linguae elementa ex Ciceronis opusculis et Virgilio, Terentioque, Catechesi Iusti Menii addita, traderem, scriptaque latina emendarem, graeca sententiosis versibus explicandis,

<sup>1</sup> anni] anno Reiske.

<sup>2</sup> alia Reiske: alio H.

<sup>3</sup> in primis Reiske: imprimis H.

<sup>4</sup> suae von Reiske ausgelassen.

<sup>5</sup> Franciscanum korrigiert aus Franciscanorum H.

<sup>6</sup> duos] eos Reiske.

<sup>7</sup> vltra Reiske: vltro H.

quasi obiter docebam. Reliqui alphabetarii fere erant, et parentes satis habebant, si vtcunque legere et scribere filioli didicissent. [3] Caeterum [46H] a plerisque satis honorifice tractabar, nec vnquam maiore successu in priuatis studiis, et commodiore valetudine, quam eo biennio fui vsus. Pellegebam ordine totum Ciceronem, Quintilianum, Isocratem, Xenophontem, Aristotelem et Platonem magna ex parte, aliosque complures autores. Nam in poëtis et graecis et latinis iam antea Norimbergae adhuc agens, non segniter versatus fueram. Accedebat Iusti Menii, viri eloquentis et perhumani meique amantis, periucunda consuetudo, cui Melanchthon me de nota meliore commendarat. Ac vellem mihi ad manum esse ἀπόγραφον illius epistolae, quam cum multis aliis et doctorum literis et libris et vestibus anno 1550 mihi perisse arbitror. Nam Phil[ippi] Melanchthonis et Ioach[imi] Camerarii (quorum hic pro humanitate sua pene iustum volumen epistolarum ad me dedit, ille, quadam epistola, cum ei gratias singulares de missis ad me literis egisset, testatus est, me tanti a se fieri, vt vel singulis diebus ad me scripturus esset, si per negotia liceret) et honorifica et omnis fuci expertia iudicia (quis enim [824R] tantos viros iuueni pauperculo et rerum suarum satagenti voluisse adulari credat?) calumniis obtrectatorum opponere non dubitarem. [4] Sed ecce, praeter spem, post diuturnam inquisitionem aliud agenti, id quod dixi, ἀπόγραφον in libro versuum et epistolarum mearum sese offert, quod<sup>1</sup> est huiusmodi:

Philippus Melanchthon viro optimo D.

Iusto Menio Pastori Ecclesiae

Isenacensis, amico suo carissimo.

S. P. D.

Hunc Hieronymum iudicio delegi ad scholae Mulhusanae gubernationem. Nam et grauis et eruditus est in vtraque lingua, et amans operarum scholasticarum. Ostentationis fortasse minus habet,<sup>2</sup> quam locus ille requirit. Si oculis offundere speciem maiorem posset, neminem in hac tota Academia anteferre ei possem. Sed virtute autoritatem sibi parere poterit et tuebitur. Sic igitur tibi virum bonum et doctum commendo, vt eum et propter priuatam amicitiam nostram, et propter publicam vtilitatem complecti te velim. Erit ornamento Ecclesiae, et adolescentiae studia iuuare ac prouehere poterit. Cum Lipsiam venissemus, audiuimus Hieronymus grassari pestilentiam in oppido Mulhausen. Quod si ita esset, conuenire adolescentes, non esset vtile, et Hieronymo<sup>3</sup> ea fama scrupulum iniecerat. Sed haec omnia tuae prudentiae commendo. Bene vale. die 6 Ianuarii 1543.

---

<sup>1</sup> quod] quae Reiske.

<sup>2</sup> habet] habuit Reiske.

<sup>3</sup> Hieronymo korrigiert aus Hieronymus H.

[47H] Ad eundem ex alia epistola.

Scire de Mulhusanae scholae gubernatore cupio, quid iudices. Socratica natura est, literatus et honestus est. Sed vellem esse hilariorem et in actione excitatiorem.

[5] [825R] Hactenus Melanchthon, ἄγαν εὐστόχως ἐμὲ φυσιογνωμονήσας. Nam quum a Matthaeo Irenaeo primum adductus, reuerentia tanti viri pene trepidarem, a calce ad verticem vsque, totius corporis mei habitu, Pythagorica imitatione, acutissime perspecto, ea comitate me et hilaritate compellauit, vt e vestigio timorem illum in summum amorem constantemque sui et mutuum conuerteret. In eo autem, quod de autoritate scripsit, vtinam falsus non esset: virtutem quidem si assecutus non sum, secutus certe sum et sedulo et constanter, si modo virtus est innocentia, modestia, humanitas, frugalitas, benignitas, industria, omnis officii si minus conseruatio, summum certe studium. Sed haec, quia ipse mihi parum tribuo, et ab assentatione aequa atque ab ostentatione καὶ ἵπποτυφίᾳ, et a callidis aucupiis abhorrens, γυμνῇ τῇ κεφαλῇ καὶ ὄρθοῖς ὅμμασιν in id vnum intentus sum, quod aequitas atque vtilitatis ratio postulare videtur, autoritate apud plerosque ea sum, vt me neque timeant, nec vereantur, meaque consilia et dicta non pluris faciant, quam auiculae diobolaris cantum. Imo non defuerunt, qui ne auscultasse mihi et in meam iuisse<sup>1</sup> sententiam aut acceptum mihi quicquam retulisse viderentur, et suis et aliorum rebus pessime consuluerunt. Οὕτω σφόδρα ἡ τοῦ πένητος σοφία ἔστιν ἔξουθενημένη. [6] Quo meo fato animaduerso, meum ago negotium, quantum per seruitutem licet, (homini enim infelici nihil agere, semper est optimum) et alios rem et publicam et priuatam vel bene gerere facile patior, vel corrumpere, aequo animo fero, cum tam consulendo quam aduersando adeo nihil proficiam, vt quae ego construo, alii destruant, quae improbo, exosculentur ac laudibus in coelum efferant. Ἀλλ’ εἰς μυλῶνα ἐπανιτέον relicta autoritate iis asellis, quorum auriculas Fortuna leonina pelle contexit, et vulpeculis, adulatio[n]is [826R] et simulationis artibus instructis. [7] Vbi (vt nihil ab omni parte beatum est) praeter scholastica incommoda etiam contumelia cuiusdam e consularibus, vna cum concionatoribus fui exagitatus, qui breui poenas dedit temeritatis suaे in ordinem coactus. Inciderat et suspicio compilati Monachorum sacrarii, in quam et ipsum me fuisse raptum, ex eo intellexi, quod die quodam aliquot Senatores in conclaue meum subito irrumpentes omnes angulos solicite perlustrabant. In eodem conclaui ante discessum meum per dies complures et noctes audiebam sibilos mirabiles ac ita canoros, vt serpentis esse non viderentur sed praestigiatoris alicuius. Et quidem in vrbe illa primum animaduerti me praestigiis magicis peti, qua de re nolo prolixius agere, illud tantum testatus, qui [48H] sentiunt, magos et sagas, laxante Deo habenas Diabolo (id quod fit ob sclera nostra et flagitia et diffidentiam) nihil posse in

---

<sup>1</sup> iuisse] inisse Reiske.

laedendis hominum corporibus et fortunis (vt de perturbationibus animorum taceam) eos aut beatos esse, qui talia ignorent, ne stupidos et imperitos dicam, aut si sciunt, et tamen negant, impudentes sycophantas, qui scelera sua dissimulanda<sup>1</sup> arte nefaria, minus suspecta fore existiment. Caeteri Dionysium Halicarnasseum audiant, paeclare monentem: ὅτι τὸ τῆς ἀπάντων ιστορίας ὄρον ἔαυτὸν ποιεῖν, καὶ περὶ τοῦ μὴ γεγονέναι τι, τῶν δυνατῶν γενέσθαι λέγειν, αὐθαδες πάνυ, καὶ οὐ πόρρω μανίας.

[XIX,1] Verum ea res non magnopere mouebat animum meum, magis taedebat inutilium operarum, et commodioris victus, et vrbis, in qua doctorum familiaritate vti liceret, desiderium subinde stimulabat animum, sed quae per Camerarium Lipsiae, et per alios alibi tractabantur, parum succedebant, donec Vitus Theodorus, approbante Melanchthon, effecit, vt Norimbergae mihi locus esset, qualem optabam, et quod ad Magistratus et discipulos, et soda[827R]les attinebat, ibi plane fuisse, opinione mea felix. Erudiebam 12 selectos adolescentes, eosque breui omnes tum humanitate tum diligentiae assiduitate, qua suis studiis non parum consuli sentirent, ita mihi conciliaram, vt non tot hostes, quot discipulos, sed totidem famulos ac potius filios habere viderer, qui promissime mihi morem gererent. [2] Quod vt exemplo declarem, erat inter caeteros Ioach[imus] Grienius. Qui cum animaduerteret, vinum quod in nosodocheo paebebatur, parum esse commodum stomacho meo, et<sup>2</sup> Pegnesis ita exundasset, vt neque exitus neque introitus nisi per aquam pateret, alacriter, exutis tibialibus vltro ad cauponem notum accurrit, mihiq; vinum desideratum attulit iniussus. Erant et plerique musici tam symphoniaci quam organici, vt a prandio et coena lusibus illorum non parum delectarer. Serenis etiam diebus plerumque eos deambulatum extra vrbem, horam vnam atque alteram, educebam, nec vllum honestae recreationis et ludi genus illis negabam. Ita fiebat, vt eos et obsequentiores et ad ferendos studiorum labores alacriores haberem. Cogebantur enim et mane surgere, et toto die libris intenti esse, et summam concionum sacrarum, quas audierant, conscribere, et singuli certa loca bonorum autorum,<sup>3</sup> a me ipsis distributa pro suggestu declamare.<sup>4</sup> [3] Itaque in tenui et obscuro munere paulatim inclarescere coepi et magistratui magis commendari, cui prius etiam a D. Leonh[ardo] Tuchero, IIviro et curatore Nosodochei fueram commendatus. Is enim quum me reciperet, hortabatur de more, vt bona fide munere illo fungerer, meo vero responso ita delectabatur (quod postea ex aliis cognoui) vt id pluribus senatoribus retulerit. Fuerat autem huiusmodi: me satis intelligere muneris illius difficultatem, eoque magis, quod et amici quidam non in optimam spem me [828R] adduxissent, et

<sup>1</sup> dissimulanda korrigiert aus dissimulata H.

<sup>2</sup> et Reiske: vt H.

<sup>3</sup> bonorum autorum korrigiert aus bonarum artium H.

<sup>4</sup> declamare] declarare H, Reiske.

antecessorum exempla terrent, facturum quidem pro virili omnia, nec vsquam cessaturum. Sed quia humana industria, sine ope diuina, parum ac nihil potius valeret, me si secus cecidisset, quoquis tempore non grauatim cessurum esse melioribus. His veluti fundamentis iactis facile impetro, vt aucto stipendio praeter honestum victum, in singulas hebdomadas singuli floreni mihi praebarentur. Ea conditione vitae sic delectabar, vt nihil amplius ne optarem quidem, planeque decreueram,<sup>1</sup> in eo loco omnem aetatem exigere, et honesta Musarum delectatione, rebus aliis omnibus neglectis, frui. [4] Verum longe aliter euenit. Qui enim in portu iam nauigare videbar, subito exorto turbine, in medium pelagus aerumnarum electus vix euasi, euasi tamen diuina prouidentia, contra et meam et nebulonum quorundam opinionem. Tantae insidia vitae meae paratae erant. Qua de re equidem nescio quid dicam, aut quid causae fuisse<sup>2</sup> diuinem. Fungebar officio diligentissime, et cum successu, eaque res et nomen honestum et gratiam optimi ac doctissimi cuiusque mihi pepererat, nemini neque dicto neque facto molestus eram, comem et affabilem omnibus me praebebam, aetate et dignitate superiores, vti par erat, obseruabam, denique dies noctesque, quantum valetudo patiebatur, optimos quosque graecos et latinos autores studiose legebam. Qui cum ita vitam instituisse, neque volens et sciens quidem quenquam offendarem, innocentiae fculno (vt res docuit) praesidio fretus, me neminem habere vel inuidum vel inimicum existimabam. Sed euentus alias longe fuit. Ita enim et venenis et praestigiis [49H] exagitabar, vt mors quam vita mihi esset optabilior. Neque prius diabolus et instrumenta illius destitere, quam me non modo munere illo deiecissent, sed vrbe etiam cedere coëgissent. [5] Men[829R]se enim Dec[embri] 1545.<sup>3</sup> 6 continua diebus intempesta nocte subito terrore somno excutiebar, statimque delabi gutta e dextro oculo videbatur, vnde fiebat, vt tandem in metum excoecationis (nam altero nullam vnquam literam perspicere potui) venirem. Neque enim iam fere quicquam legere poteram. Interiectis aliquot noctibus, cum satis commode quieuissem, terror ille reuertitur, et sinistra capitis pars ita luxatur, vt mane attolli a me non posset. Pransitabam autem et coenitabam solus, atque alias vermes, alias araneolas in cibo reperiebam, vinum vero spuma instar cereuisiae saepe obductum afferebatur. Cum itaque iam constaret ex iis quae fiebant, illo in loco me incolumem esse non posse, missionem a magistratu flagitaui, nec impetraui tamen, quod me cogitationibus melancholicis e studiorum assiduitate contractis, laborare, et non insidias vitae meae strui putarent. Illud quidem concessum fuit, vt per mensem vnum atque alterum aërem locumque mutarem. [6] Ego vero Thermas ferinas ingressus diuino beneficio conualui mediocriter, ac Argentinam ad doctorem Sebaldum, in cuius aedibus tum frater meus, cum discipulis

<sup>1</sup> decreueram *Reiske*: dereueram *H.*

<sup>2</sup> fuisse korrigiert aus fuisse *H.*

<sup>3</sup> 1545] 1546 *H, Reiske.*

Norimbergensibus habitabat, per vastitates Hercyniae siluae et profundas niues fui expatiatus, antequam Noribergam redirem, quam ita trepide reliqueram, vt quasi insequente nosodocheo, intra duas horas duo magna milliaria conficerem. In ipsis autem thermis ab hospite monebar, vt rusticum quandam Weberlenhardum Zwerebergensem<sup>1</sup> (villa ea, in silua Hercynia sita prope abest Wildperga<sup>2</sup> oppidulo) consularem, qui magicas notas et beneficia naturalibus remediis propulsare sciret. Is et herbas quasdam dabat, vnde lixiuum confieret, et globulos, nescio vnde confectos, quos domum reuersus in conclavi meo prunis imponerem. [7] Quid autem iis rebus fuerim consecutus, ne[830R]scio, et vt sciam, taceri<sup>3</sup> praestat, illud scio, me et corporis insignem mutationem sensisse, et quandam popularem ac familiarem, conuenisse me per speciem gratulationis, facie ita liuida et tubere, quasi pugnis aut fustibus fuisse contusa. Qui rogatus sine vlla suspicione, tum quidem, aiebat, se per ebrietatem in tenebris offendisse. Dicebatur et mulier quaedam non ignobilis<sup>4</sup> grauiter decumbere. Ego vero insidiatoribus suas artes, nescio quo consilio inhibentibus per aliquot hebdomadas satis commode viuebam, sperabamque, iam tandem me quietum fore. Sed cum iidem terrores, eademque pericula redirent, implorata ope Christophori Iulii missionem a senatu impetraui, cum quidem dicerem, periculo vrgente et stimulante animum, si volentibus dominis non liceret, praestare mihi vel inuitis ipsis saluti meae<sup>5</sup> consulere, quam nullo cum fructu cuiusquam perire. [8] Ac diu etiam patroni et amici mei, in tantis malis, me tanquam delirantem, et vana somnia mihi fingentem, et obiurgabant, et deridebant, quo homini calamitoso quid euenire potest acerbius?<sup>6</sup> Ac superioribus annis quidam, et quidem is, quem id minime decebat facere, tametsi verum fuisse (quod illius ignominiae (si qua esset) pars nonnulla in ipsum redundasset) nescio qua de re mecum expostulans me iubebat Norimbergenses interrogare, si sibi delirium obiectanti fidem non haberem. Tandem tamen iidem ipsi confessi fuere, me iam in Alsatia et Heluetia degente, profugum quandam monachum, nefarium et sceleratum hominem, qui praeficam<sup>7</sup> agebat apud morientes in nosodocheo, turbas illas mihi concitasse, quem magum esse constaret, et scire multa, quae neque vidisset neque audisset ex vlo mortalium. [9] Etsi autem fieri potest, vt ille non extra culpam fuerit, tamen caput ei rei fuit aliud et maius, cui nebulo ille sceleratam nauauit operam, vt [831R] fortassis et eiusdem loci φαρμακεὺς in cibis meis et potionibus ita condiendis, vt nec subito perirem, et cedere si nollem, [50H] ipsa frequentatione et diurnitate temporis, citra

<sup>1</sup> Zwerebergensem] Zwercbergensem *H.* *Reiske*.

<sup>2</sup> Wildperga] Wildpergo *Reiske*.

<sup>3</sup> taceri *korrigiert aus tacere H.*

<sup>4</sup> non ignobilis *korrigiert aus nobilis H.*

<sup>5</sup> meae] meae me *Reiske*.

<sup>6</sup> acerbius? *Reiske*: acerbius. *H.*

<sup>7</sup> praeficam] pontificem *Reiske*.

veneficii suspicionem conficerer. Etiam fieri posse video, vt et ipse in Zodiaco illo, Iscarioten aliquem fouerim. Certi nihil habeo, varia suspicor, accuso neminem, quia conuincere possum neminem, πρὸς ἀνταβάτας ἐν σκότει μαχόμενος, diuersi etiam ea de re et amicorum et inimicorum sermones fuerunt. [10] Verum ego non vnam fuisse causam reor, sed sentinam quandam improborum hominum in me effusam fuisse, quorum alii metuerent, ne luminibus suis per me obstrueretur, alii qualemcumque commoditatem mihi inuidarent, ac succedere cuperent electo, aliae se contemni aut negligi, moleste ferrent, quod ego tum quidem nec suspicari poteram, vt qui nihil amarem nisi libros, meque minime amabilem esse satis scirem. Quod si tales voculas vel e sodalibus vel aliis audirem, rideri me putabam, nec aliud respondebam, nisi vulgatum illud:

Nescio quid sit amor, nec amo, nec amor, nec amauit.

Tum quidam, vt non ames, inquit, at amaris. Semel etiam fanatica quaedam vetula, quum me praetereuntem videret: hic, (inquit) hic ille est, quem volumus. Nec multo ante, cum in platea in Georgium Ioach[imum] Rhaeticum incidissem, isque inter alia etiam Chiromantiae facta mentione, manum meam inspexisset: breui, inquit, magnum tibi a muliere periculum impendet. Ego vero vt qui non cum mulieribus sed cum virginibus Musis rationem haberem, parum illa curabam, ac ridebam potius. Vt cunque fuerit, malui cedere, quam cadere, atque ex infausto loco in tutiorem me recipere. [11] Enimuero siderum aduersi radii nondum auersi erant. Durabant effectus Solaris eclipsis, quae anno 44 prope gradum Aquarii, mihi vt opinor, horoscopantem, tanta acciderat, vt intra nonam et decimam antemeridianam, scholam ob tenebras ante tempus dimittere cogerer. Luna item ad coniunctionem Martis progressa erat, in quo plerique Astrologi consentiunt, cum in aliis (nam plurium coniecturas habeo) dissentiant. In annua reuersione, Saturnus horoscoparches absoluto suo cursu, ad signum geneseos reuersus: Ioui τῷ οἰκοδεσποτοῦντι<sup>1</sup> se in medio coelo sociarat. Reliqui autem planetae in 6<sup>to</sup> loco et signo Leonis congregati,<sup>2</sup> Lunam in epicataphora quadratis radiis pulsabant, et ab eadem venenato Scorpionis aculeo vicissim feriebantur. Ea constitutio Saturni plerunque mutationes affert, easdemque Iupiter benignitate sua illustrasset, nisi Venus retrograda obsecundare illi noluisset.<sup>3</sup> [12] Atque hoc loco temperandum est calamo, multaque silentio praetereunda, ne qui se perstringi existiment, quos a me offendi minime vel[832R]lem. Illud tantum dico, me non nisi vrbe reicta, quietum esse potuisse.

<sup>1</sup> οἰκοδεσποτοῦντι] οἰκοδεσποδοῦντι H.

<sup>2</sup> congregati korrigiert aus congregata H.

<sup>3</sup> Enimuero siderum aduersi radii ... noluisset von Reiske ausgelassen.

[XX,1] Itaque sub Idus Apr[ilis] 1547 priuata schola deserta, quam rogatu amicorum quorundam aperueram, Ioanne Fischero comite, qui nunc Tubingae Medicinam docet, commoratus aliquantulum Nerlingae apud Annam sororem, Tubingense, Argentinense et Basileense iter sum ingressus, cum vt veteres praeceptores atque amicos inuiserem, tum vt 4 Isocratis orationes et 2 Demosthenis, quas conuerteram, Oporino excudendas darem. Destinaram autem Archidamum, Philippicam et Symmachicum Christophoro Iulio, cuius fere per annum hospitio liberali vsus fueram, Areopagiticum, orationem Demosthenis de immunitatibus et eiusdem alteram de militibus Chersonesitanis Friderico Electori Heidelbergensi, cui me Andr[eas] Osiander maioribus etiam in rebus mihi gratificatus, commendarat, Academiam, vt ferebatur, instauraturo. Sed cum literae illae nescio a quo per fraudem interceptae minimeque principi redditae essent, eo fortasse consilio, vt desperatis rebus in ergastulo manere cogerer, mutauit consilium, te inprimis, Oporine, autore, qui negabas, te velle ἀκεφάλους μύθους excudere. Sed si totum autorem transtulisse, et gratificaturum mihi, et labores meos, quantum res tuae ac temporum difficultates ferrent, remuneraturum. [2] Hic ego in re longe quidem impari, sed caetera simillima eandem fortunam sum expertus, quam et oratores apud populum Atheniensem, et ipse populus apud Graecos, cui negat Demosthenes integrum esse a gubernanda repub[lica] Graeciae, quam semel gerendam suscepit, vt maxime cupiat, recedere. Putabam enim tunc me eo labore defunctum, tolerabili conditione, suffragiis doctorum amicorum oblata, pristinum studiorum meorum cursum persecuturum. Id vero tantum abest, factum vt sit, vt iam vltra [833R] 20 annum in eodem pistrino molam,<sup>1</sup> ac propemodum verear, ne illi prorsus sit immoriendum.<sup>2</sup> Bibliotheca quidem mea, hactenus adeo frui non potui, vt liberali emtori aequissimo pretio eam sim addicturus, cuius

Nunc fruor aspectu, veluti spado virgine gaudens

Gaudia melle pari felleque mista capit.

[51H] Oneri quidem et sumtui mihi, domicilia, ciconiarum instar, saepius mutant, fuit potius, quam vsui et honori. [3] Tum autem hac spe Argentinam reuersus, id quod tu iusseras, executus sum, in aedibus medici celeberrimi, et veteris amici, Sebaldi Hauenreuteri, qui mihi domum victumque communem iam ante liberalissime obtulerat, neque in hunc vsque diem omnibus officiis ornare me<sup>3</sup> destitit. Qua in re tanta animi alacritate perrexii, vt interdum vno die 12 graecas pagellas absoluierem: reliquas certe 17 orationes cum 9 epistolis et vita Isocratis, a tribus descripta autoribus intra mensis vnius spatium<sup>4</sup> confeci. Deinde semestre circiter datum est emendationi et annotationum

<sup>1</sup> molam Reiske: malam H.

<sup>2</sup> immoriendum korrigiert aus emoriendum H.

<sup>3</sup> me fehlt im Druck 1566.

<sup>4</sup> spatium] spaciun Druck 1566.

conscriptioni, statimque prelo<sup>1</sup> subiectus Latinus Isocrates, anno 1548 publicatus<sup>2</sup> est, temerario prorsus (vt Fabii verbis vtar) editionis honore, euentu tamen feliciore, quam prudentiore consilio. Maiorem enim habebam tum<sup>3</sup> graecae linguae vsum et facultatem, quam latinae deque stili<sup>4</sup> puritate parum laborabam, id satis esse ratus, si autoris sententiam vtcunque expressissem, vt posset intelligi, praua consuetudine nostri seculi<sup>5</sup> et nationis fretus, quam Egnatius: τὴν Ἡγούπιπου λοιδορίαν μιμησάμενος, τὸν ἐγκέφαλον οὐκ ἐν τοῖς κροτάφοις, οὐδὲ ἐν ταῖς πτέρναις καταπεπατημένον<sup>6</sup> φορεῖν, sed cerebrum in digitis habere dixit, propter inconsideratam<sup>7</sup> quiduis illinendi chartis audaciam,<sup>8</sup> quae tamen <non<sup>9</sup>> male mihi cessit. Nam et patroni (vt initio significaui)<sup>10</sup> primum [834R] id meum et minime elaboratum opus <liberaliter sunt remunerati, et docti viri ac studiosi adolescentes non pauci, conatum meum<sup>11</sup>> approbarunt, et hac occasione commissi mihi fuerunt Augustani discipuli, quos biennium apud vos<sup>12</sup> vnum annum Lutetiae<sup>13</sup> Parisiorum institui. Vnde in Fugger<an>am<sup>14</sup> familiam primum ascitus, post a senatu Augustano ad graecas latinasque literas docendas sum vocatus, quo in munere versor adhuc, eo studio, quod fides mea postulat, eo successu, quem siue loci genius, siue fortuna mea, siue tempora nostra patiuntur. [4] Argentinae autem dum agerem, cum opportunum erat, Theologos Petrum Martyrem, Mart[inum] Bucerum, Paulum Fagium, in Philosophia et literis Io[annem] Sturmum et Iustum Velsium<sup>15</sup> audiebam, quem posteriorem conciliata mihi eius per Christophorum Ehemium notitia, pluribus de locis consulebam. Bene mihi cupiebat et Bucerus lectis lucubrationibus quibusdam meis, mihi subindicabat, si in classe docere vellem, fore mihi spem non multo post publicae paelectionis. Verum ego verebar, vt quaternarum horarum in tanta discipulorum frequentia, laborem perferre posset mea imbecillitas, et vt verum fatear, superiore loco, arroganter potius quam vere, me dignum iudicabam. Non enim parua res, nec paruae eruditionis opus est graecos et latinos oratores vel pueris interpretari cum fructu, eorumque animos, linguas et stilum salubribus et necessariis paeceptis instruere atque informare. Sed ita fit, iuuentus nec magnitudinem rerum, quae in

---

<sup>1</sup> prelo] paelo Druck 1566.

<sup>2</sup> publicatus] editus Druck 1566.

<sup>3</sup> tum fehlt im Druck 1566.

<sup>4</sup> stili] stylis Druck 1566.

<sup>5</sup> seculi] saeculi Druck 1566.

<sup>6</sup> καταπεπατημένον Druck 1566, Reiske: καταπεπατημενων H.

<sup>7</sup> inconsideratam Druck 1566, Reiske: inconsideratum H.

<sup>8</sup> quiduis illinendi chartis audaciam] chartis, quiduis illinendi, audaciam Druck 1566.

<sup>9</sup> non in H und von Reiske ausgelassen; ergänzt nach dem Druck 1566.

<sup>10</sup> (vt initio significaui) fehlt im Druck 1566.

<sup>11</sup> liberaliter ... meum in H und von Reiske ausgelassen; ergänzt nach dem Druck 1566.

<sup>12</sup> apud vos] Basileae Druck 1566.

<sup>13</sup> Lutetiae] Luteciae Druck 1566.

<sup>14</sup> Fuggeranam Druck 1566: Fuggeram H, Reiske.

<sup>15</sup> Velsium] Felsium H, Reiske.

speciem paruae sunt, metitur animo, et nocentissimo opinionis errore sibi praefidens, altiora cogitat. Quo eodem morbo tunc et ipse laborabam. Qui si ea prudentia<sup>1</sup> et moderatione fuisse, qua nunc si non sum, at esse debeo, fortunam illam peramplam<sup>2</sup> et prouinciam honestissimam cepisse me iudicassem. [5] Post enim eam occasionem per annos amplius 10 non maiore stipendio sed minore colendi studia com[835R]moditate, partim typographicum partim aulicum mancipium egi. Nam quum te nomen meum deferente, Augustani, quos supra dixi discipuli (quorum vnum adhuc Conradus Marius, Senator Augustanus superest, caeteris, variis casibus e medio sublatis) erudiendi traditi mihi essent, inter quos vnum Bauarus, vt Gerbellius quasi numine afflatus praedixerat, molestior mihi fuit, quam 4<sup>3</sup> reliqui: Basileam profectus sub Calendas Aprilis et quaternas horas illos docui quotidie, cum in eodem mecum conclavi et cubiculo noctu atque interdiu [52H] versarentur, et totum illud biennium vsque ad Calendas Februarias, conuertendo et emendando Demosthene, te autore transeggi. [6] Cum enim specimen vidisses, Chersonesitanam et Leptineam, eum<sup>4</sup> me esse putabas, quem Demosthenes interpretem non recusaret, meque hortabare, ne obtrectatorum conuicia reformidarem, quae nec ipsi vtriusque eloquentiae principes, Demosthenes et Cicero, vitare potuissent. Bonifacius autem Amerbachius, cum id moliri me comperisset, per speciem laudandi praeclari conatus, me haud obscure a tanta temeritate deterrebat, qui nec Erasmus nec Budaeum, quicquam in eo autore fuisse ausos, affirmaret. Verum ego tum τῶν ἐσχηματισμένων Διονυσίου λόγων, καὶ τῆς Ἐρμογένους περὶ Δεινότητος μεθόδου ignarus te potius ducem atque autorem sequebar, Pausania, quem inchoaram, Abrah[amo] Loeschero mandato, qui non multo post, me Basileam secutus fuerat, vbi vt discipulos haberet, quos honesto stipendio institueret, per occasionem curaram, qua ille prudentius et felicius vsus, quam ego, iurisprudentiae laureola ornatus, et opibus ac dignitate auctus nunc (quod ex animo illi, vt et compluribus aliis amicis gratulor) Norimbergae floret. [7] Nec multo post Basileam Ludouicus Carinus vir doctissimus et humanissimus senex venit, mecumque egit, vt sibi cum [836R] Io[anne] Fuggero (qui nunc solus ex omnibus gentilibus suis aliquam sui rationem habet) in Gallias ituro, hypodidascalus essem, non aspernando praemio, et spe multo ampliore proposita. Antonium Fuggerum, autoritate et gratia sua facile a parentibus discipulorum meorum, qui eidem Loeschero tuto committi possent, impetraturum, vt missum me facerent. Ibi ego quamuis in spem non exiguum arrectus, consulendum tamen prius Hauenreuterum summum atque intimum amicum, cuius mihi et prudentia et benevolentia explorata esset, ratus, consensa naui, Argentinam sum profectus illoque hortante, me in potestate Carini fore, pollicitus, modo

---

<sup>1</sup> prudentia korrigiert aus prudenter H.

<sup>2</sup> peramplam Reiske: per amplam H.

<sup>3</sup> 4 von Reiske ausgelassen.

<sup>4</sup> Leptineam, eum Reiske: Lepsineam, cum H.

ille caueret, ne ea<sup>1</sup> mutatio vel dedecori vel fraudi mihi esset. Sed et in reditu, nautis comitibus robustissimis hominibus aestu et fatigatione et sulfuratis vinis pene confectus sum, nec voti illius compo s factus, cum Fuggerus Basiliensem ministrum, suspicionis vitandae causa repudiasset, et priores dominos leuitatis me arguentes grauiter offendii, τρισάθλιος<sup>2</sup> ἐπὶ μᾶκεν ἐλπίδι γενόμενος, meumque Demosthenicum saxum voluens in vestra vrbe ita vixi, vt te et typographos reliquos, virosque doctos, amicos haberem, vulgo ignotus, improbis etiam, nescio quibus de causis, ridiculus,<sup>3</sup> nec hospitio in salsuginosa vicinia satis commodo vsus, ac potius multis de causis infesto, quas tacere praestat, quam mouere Camarinam, quod aiunt. [8] Eodem anno quo istuc veni, inter deambulandum, ac potius ex arduo loco imprudentius decurrentum, prolapsus ac in caput praecipitatus, miraculo quodam incolumis euassisce videor, capite prorsus illaeso, dextroque brachio tantum luxato,<sup>4</sup> confractoque ossiculo, vnde per omnem aetatem, minus eo et firmo et ad scriptionem apto, vtor: Nemesi ipsa, vt opinor, temeritatem in scribendo meam castigante, eoque velut omine monente, ma[837R]num de tabula. Te vero adhuc memini indignari, malum illud non potius ignauo cuiquam et improbo homini accidisse. Sed calamitas illa me vltra triduum non remorata est. Tanta enim eram incitatus Demosthenicae conuersionis absoluendae cupiditate, vt laeuia dextram subleuans non multum, aliquid tamen scriberem. Nam cui dictarem, praesto nemo erat. [9] Sebastiani autem Castalionis, quem nondum visum ob Prodromum eius et Ionam eleganti carmine descriptos admirabar et amabam, iucunda et vtili consuetudine sum vsus. Nam cum eo et inter deambulandum variis de rebus et sacris et prophanis familiariter colloquebar, et eius iudicio in [53H] corrigendo, et Isocrate et Demosthene, quod ad dictionem attinet, vtebar, et quia re pertenui, stipendio nullo, familiam ex typographicis operis, vtcunque sustentabat, tenuitatem eius pro virili subleuabam. Eram enim Basileae degens pecuniosior, quam nunc sum, acceptis 100 Ioachimi<ci>s<sup>5</sup> a Senatu Norimbergensi, et 70 florenis praeter victum a discipulis, cum quidem sumtus<sup>6</sup> perexiguos facerem. Non enim tam refert, quanti sint reditus, quam quantae expensae, diuesque habendus est, non qui multum accipit, sed qui parum consumit. Quod ignorans bonus ille Castalio aeque atque alii inepti homines, qui me statim a Fuggeris inauratum fuisse, opinati sunt, (vt proximis anni 66 comitiis, non sine dolore et molestia ex<sup>7</sup> Carolo Vtenhofio excellenti ingenio et doctrina iuuene, cognoui) conqueri de me solitus fuit, vt qui praesentem coluissem, negligenter absentem. Verum iniquissime. Nam quum post

---

<sup>1</sup> ea korrigiert aus illa H.

<sup>2</sup> τρισάθλιος Reiske: τρισάτλιος H.

<sup>3</sup> ridiculus korrigiert aus ridiculis H.

<sup>4</sup> luxato korrigiert aus laxato H.

<sup>5</sup> Ioachimicis] Ioachimis H, Reiske.

<sup>6</sup> sumtus Reiske: sumptus H.

<sup>7</sup> ex Reiske: et H.

discessum meum praelectio graeca illi mandata esset, non putabam eum, qui antea sine stipendio se suosque sustentasset, nunc demum egere, nec ille quicquam a me petierat, et ego ipse rerum mearum satagebam. [10] Praeterea (verum vt fatear) nonnihil of[838R]fenderat animum eius arrogantia, qui versus meos illi honorificos et tales, quorum neque me neque illum pudere debuit, in conuersionem Bibliorum ipsius, superbe reiecerisset, tanquam dehonestaturos lucubrationem suam. Tibi quidem ita probati fuerunt, vt eos, illo ignorante, multis exemplis praefixeris. Iam cum ego et in praefatione Demosthenis et in versibus Isocrati additis, mentionem eius honorificantiorem quam pro meritis fecissem, ille eidem Isocrati pentametron hoc addidit

– Sed aquis non sine Castaliis,  
quo innuebat, si quid elegantiae, meae interpretationi<sup>1</sup> inesset, id non Wolfii sed Castalionis esse, et quod ego illi, nimio quodam declarandi grati animi studio, vltro detuleram, id ipse quasi debitum iure suo sibi vendicabat. Admonuerat me autem, vt abstinerem formulis, quarum autorem probatum non haberem, et vt autoris verbis, quam proxime inhaererem, nec mihi luxuriandi licentiam sumerem. Haec fere summa est meritorum illius, quae multis coronatis mihi constiterunt, non illo<sup>2</sup> quidem exigente, sed me vltro largiente. [11] Quod si mei discipuli, quos variis in locis interim habui, eadem liberalitate et illas et alias longe plures admonitiones compensassent (id quod minime vnquam desiderau) iam pridem auro abundassem. Nunc ille perinde facere visus est, atque musca illa in fabula, quae cum quadrigae insedisset, totum currum sua vi agitari gloriabatur. Haec non scribo, illius suggillandi gratia (quem vtut viuus de me senserit, ne defunctum quidem amare et magnifacere destiti) sed defendendi mei causa ab ingrati animi crimine, quum longe plus illi<sup>3</sup> praestiterim, quam ille mihi. Nam si lucubrationes meae victuae sunt, illius nomen vna cum meo in iis viuet, et ego pro verbis aurum illi numeraui. Sed est nescio quod supercilium et quasi clandestinum odium exterorum in nos Germa[839R]nos, quorum simplicitati illudere et insultare pulchrum sibi putant, et (quod mihi Iacobus Gopylus<sup>4</sup> Lutetiae dicebat) ea persuasio penes plerosque viget, vt Musas apud se solos habitare atque aeternum domicilium constituisse arbitrentur. [12] Idem arrogantiae vitium et malevolentiae in altero etiam eiusdem gentis animaduerti. Qui cum mihi aliis rebus occupato suam vniuersitatis historiam, quae tum sub prelo erat, tantum non per vim legendam obtrusisset, egoque ea perfecta et<sup>5</sup> <probata,> pro candore meo, nimiaque facilitate, versus aliquot in commendationem operis scripsisse, [54H] eodem fastu repudiatus sum, vt indignus scilicet, a quo tanti viri laudarentur. [13]

<sup>1</sup> interpretationi korrigiert aus interpretatione H.

<sup>2</sup> illo Reiske: ille H.

<sup>3</sup> illi Reiske: ille H.

<sup>4</sup> Gopylus] Goupylus Reiske.

<sup>5</sup> et von Reiske ausgelassen (egoque, ea perfecta, pro candore meo).

Caeterum biennio ad hunc modum apud vos exacto, Demostheneque edito, quum discipulorum parentes me Lutetiam ire iussissent, Augustam id opus dorso mecum attuli, sed ad patronum tum aegrotantem admissus non sum, ab Antonio tamen Fuggero per aliquot dies conuiuiis exceptus humaniterque habitus, et Nerlinga<sup>1</sup> reuersus, vbi sorores inuiseram, Lusitanico nummo, qui 10 ducatos valebat, ob scriptum vxori et liberis epicedion donatus. Idem (quod interim tamen et sero animaduerti) me in Italiam suis sumtibus ablegasset, si vti foro scissem. <...>, vtrum id e re mea futurum fuisse. Respondebam autem simpliciter, esse me quidem celeberrimae regionis videndae percupidum, sed timere flagitia et scelera nationis illius. Tum ille, sunt quidem, inquit, complures illic callidi atque improbi, sed vicissim vix alibi viros prudentiores et meliores inuenias. Sic tum ab illo discessi, Basileam redditurus, officia sua benigne pollicito.

**[XXI,1]** Ibi composita supellectile, paratisque rebus necessariis, Gallicum iter, comitatu 16 equitum, ingressus sum, Basileam altero anno longe dissimili comitatu redditurus. Lutetiam ingressi sumus 27 Apr[ilis] ac a Ioanne Kielmanno, nunc Wirtenbergensi medico [840R] rebus omnibus adiuti, absque quo si fuisse, ignarus linguae et morum, in summis difficultatibus versatus fuisse. Subleuabar nonnihil et a Mich[aele] Vascosano, et Iacobo Gopylo,<sup>2</sup> medico. Praebebat se mihi comem et benignum Petrus Ramus et Adrianus Turnebus. Sed Io[annes] Strazelius professor regius meas interpretationes pro suggestu, plane canina rabie exagitabat τοὺς ἀντιπάλους λόγονς interpretans. Cuius praelectioni, quum semel fortuito interfuisse, meamque versionem ab eo per calumniam suggillari coram audiuisse, egredientem ipsum appellaui, meque velle cum eo de locis quae notasset, placide conferre, sum professus. Tum ille, profecto mihi (inquit) nunc otium non est, alias vbi voles domi meae me conuenias licebit. Conueniam ergo, inquam. Sed quoties Wolfius fores pulsabat,<sup>3</sup> toties Strazelius domo aberat. Pertaesus igitur atque perosus vanitatem calumniatoris, nihil mihi cum eo post negotii esse volui. **[2]** Erat tum aliud quidam poëtaster, homo parum sani cerebri, Hubertus Sussannaeus,<sup>4</sup> qui cum me in bibliopolio Iacobi Puteani conspexisset, rubentem adhuc solito magis e 14 dierum equitatione, heus, inquit, Germane, tune is es, qui latinum Demosthenem nobis dedit? Sum, inquam. Tum ille, nos Galli non curamus Demosthenem, Cicerone contenti, atque ita e taberna se proripiens, facies (inquit) bibonem indicat. Inter haec non deerant, qui me in plateis ambulantem, non medio digito, vt Demosthenem Diogenes, demonstrarent. Habebam et Germanos nonnullos

---

<sup>1</sup> Nerlinga korrigiert aus Nerlingae H.

<sup>2</sup> Gopylo] Gropylo H: Goupylo Reiske.

<sup>3</sup> pulsabat korrigiert aus pulsauit H.

<sup>4</sup> Susannaeus] Sussamaeus H, Reiske.

mei studiosos, inter quos praecipui fuerunt Sigfridus Pfinzing, Norimbergensis, omnibus naturae et fortunae dotibus ornatiss[imus] adolescens, et longiore vita, melioreque fortuna (sed aliter diuinae prouidentiae visum) iudiciis omnium dignissimus, Matthias Ritterus, Francofurtensis, Hier[onymus] Boppius, Ar[841R]gentinensis, et Ambrosius Lobwasserus et complures nobiles adolescentes. [3] Verum nihil omnium rerum Lutetiae iucundum erat, in vrbe ambulanti statim dolor capitidis, e foetore sordidarum platearum oboriebatur, piscium esum stomachus respuebat, sed in primis verebar, ne Sorbona ab [55H] aemulis concitata me pro haeretico igni absorberet. Idem metus in causa fuit, quo minus luculentam conditionem a Iac[obo] Spifamio<sup>1</sup> Niuernensi episcopo, legatoque regio, qui me sibi et comitem itinerum suorum et a studiis graecis et latinis, si quando vacaret, esse cupiebat, oblatam<sup>2</sup> acciperem. Itaque primo quoque tempore redditum in Germaniam maturabam, in uitis dominis, qui me liberis suis, quam Danielem Oesyand<r>um,<sup>3</sup> quem ὑποδιδάσκαλον Basilea mecum adduxeram, praeesse maluissent. Is, tum adolescens, nondum, vt opinor, 20 annorum,<sup>4</sup> stupendo ingenio et doctrina (habeo enim adhuc complures eius et graecas et latinas epistolas, quarum nec Romae nec Athenis natum pudere debeat) satellitum Regis Heluetiorum consuetudine et spectaculo duellorum in Italia deprauatus, nauata Marchioni Alberto, et post eius obitum Io[anni] Wilh[elmo] Saxoniae duci opera, quum ad opes non contempendas peruenisset, miserabilem (si fama vera est, quae vtinam vana sit) vitae exitum est sortitus. [4] Venia tandem inpetrata, conditionem aliam quaerebam, quae duplex offerebatur, vna apud Io[annem] Iac[obum] Fuggerum, altera a Christophoro Carolouicio, qui victum communem et 100 thaleros, dum vel in aula, vel in Academiis Mauritii principis honestus locus vacaret, promittebat. Interim intellexi, praestantem illum virum et in maximis negotiis imperii Germanici versatum, multorumque arcanorum conscientiam, stilo meo qualicunque in eo argumenti genere, quod Sleidano fuisse exitio ferunt, tractando, vti voluisse. Sed neutra illarum variis [842R] de causis successum habuit. [5] Itaque sub Nonas Februarii Basileense iter ingressus, Petro Guinando Allobroge comite, priusquam urbem egressus essem, calcei angustiores, ita calces attruerant, vt cruentarentur. Itaque eis pro soleis vti coactus, per profundas niues nunquam fere siccis pedibus hospitium sum ingressus, ac decimo tertio die post Basileam carro, qui ab uno equo trahebatur, ob defatigationem longi et hyberni et quadragesimalis itineris, in quo (in Burgundia praesertim) praeter vinum διουρητικώτατον et atrum panem vix quicquam mihi praebitum fuerat, conducto, ingressus, nec a te, Oporine, nec a quoquam alio admodum benigne et amice exceptus.

---

<sup>1</sup> Spifamio] Spifanio *H, Reiske*.

<sup>2</sup> oblatam *Reiske*: non *H*.

<sup>3</sup> Oesyandrum *Reiske*: Oesyandum *H*.

<sup>4</sup> annorum] annos *H, Reiske*; *vielleicht zu lesen*: annos <natus>.

Apparebat enim moleste ferre vos, neque dignitatis augendae rationem habitam, et discipulos a me relictos. Illud vero parum vos mouebat, quod, nisi illos reliquissem viuus, non multo post mortuus relicturus fuissem. [6] Habui annum illum, quo in Gallia versatus sum, ac potius totum triennii tempus, quod edendo et recognoscendo Demosthene <transegi>, quem, vna cum Isocrate, Vascosano breui recudendum reliqueram, ita infestum, vt pene fidem habere cogar Aeschini, infelicitatem Demostheni obiectanti. Nullum,<sup>1</sup> inquit aemulus ille, atque accusator vehemens, hominem attigit Demosthenes, nullam domum, nullam urbem ingressus est, quam non contagione mali sui genii<sup>2</sup> complevit atque euerterit. Mihi certe eum studiose lectitanti, et phrases ac sententias illius excerpti, ea acciderunt, quae supra exposui, inter conuertendum, periculum capitis adii, patrono illum oblaturus, aditu prohibitus sum, 50 exempla, quae tu mihi remunerationis ergo dederas, variis ac diuersis in locis habitantibus doctis viris atque amicis destinata, vna cum literis, vel fraude ministri tui intercepta, vel alio casu periisse, ex eo coniicio, quod [843R] nemo fere omnium vel respondit quicquam vel gratias egit pro munere, vno atque altero exceptis. Quibus etiam elogiis Lutetiae fuerim honestatus, paulo ante dixi. [7] Patronus porro cum tandem conualuisset, 40 florenorum honorarium mihi decreuerat, cum quidam Fuggeranus minister et praecipuae in ea familia autoritatis, tantum non auri montes pollicitus fuisset. Ego vero et h̄c hospite absente rationes confeceram, spes meas magnificas nemini magno pretio venditurus. Sic enim cogitabam: si Isocrates tantum attulit, quid de Demosthene fiet? si Norimberga tantum, quid Fuggerana familia, cuius et regiae opes et singularis erga doctos munificentia celebratur?<sup>3</sup> Verum istae bonae rationes ita me fefellerunt, vt fateri cogar, quamvis cum dedecore meo (quid<sup>4</sup> enim magis meditari decet hominem Philosophum, quam μετριοπάθειαν?<sup>5</sup> quid stultius, quam incerta habere pro certis? quid ineptius, quam alienae liberalitati praescribere modum et tanquam ex syngrapha agere cum patrono?) negare igitur, inquam, non possum me per omnem vitam, quae multis acerbitatibus referta fuit, nunquam in maiorem desperationem et indignationem incidisse. [8] Eundem Demosthenem in herili bibliotheca biennio post recognitum, ac tandem editum, etiam Aeschine adiuncto, nihilo feliciorem sum expertus. Tantum enim abfuit,<sup>6</sup> [56H] vt fructus inde aliquid aut gratiae ad me rediret, vt etiam offensam patronorum incurrerem, ob Elegiam ad fratrem adiunctam, quam ita sycophantae quidam interpretabantur, quasi Fuggeranae familiae male ominarer atque diffiderem, cum ego non aliud agerem, quam

<sup>1</sup> Nullum *Reiske*: Nullam *H.*

<sup>2</sup> genii korrigiert aus ingenii *H.*

<sup>3</sup> celebratur?] celebratur. *H.*, *Reiske*.

<sup>4</sup> quid] quod *Reiske*.

<sup>5</sup> μετριοπάθειαν?] μετριοπάθιαν, *H*: μετριοπάθιαν? *Reiske*.

<sup>6</sup> abfuit] abfui *Reiske*.

vt fratri fortunam mea esse certiore ostenderem, quae nihil habebat fundamenti,<sup>1</sup> pendens a tenui filo, incertae gratiae potentum, cuius euentum ego neque primus neque postremus sum expertus. Inprimis vero versus hic:

[844R] Deliciae eneruant animos et corpora frangunt,  
facete admodum exagitatus fuit, quum obiiceretur, annon praestaret, vt salubribus et boni succi cibis (quum liceret) quam bubula et suilla, et cepis atque alliis vesci, aut crudis oleribus? In quo etiam inconstantiae immerito arguebar. Fueram quidem in praefatione Demosthenica de victu scholastico parum studiis et valetudini meae <conueniente<sup>2</sup>> conquestus, delicias autem non eo accusaram, quod improbarem, sed quod verebar, ne amissas frustra desiderarem, ac minus etiam, quam pridem, asperiores victum ferre possem. [9] Sed iam tandem suo genio Demosthene relicto Basileam ad vos est redeundum. Ibi Martinus Borraus Cellarius operam dabat, vt decreto mihi stipendio tanto, quantum ipse, qui doctor Theologiae esset, haberet, graecas literas dicerem, et nauanda typographis opera rei familiari seruirem. Sed quum et stipendum pertinere esset (quippe 36 coronatorum) et typographica seruitus displiceret, aliam fortunam meliorem expectandam putabam. Eò accedebat, quod pestilentia etiam ante aduentum meum serpere ibi cooperat, nec erant eae erga me amicorum voluntates atque officia, quae speraram. Quibus omnibus de causis, allata tandem Lutetia supellectile mea, coepi consilium eundi Augustam, relatisque triennii rationibus, receptisque libris, quos ante abitum in Galliam, eò (sed non parua et librorum et vestium iactura facta) miseram, in patria aut Nerlingae meliorem occasionem expectandi.

[XXII,1] In eo itinere Georgium Hermannum Caudournae<sup>3</sup> inuisi, ab eoque et Ge[orgio] Laeto benigne susceptus, et per triduum retentus, destinatum iter confeci. Et quia Carolus Caesar, praesente etiam filio Philippo, nunc rege Hispaniarum, comitia tum ibi agitabat, vix mihi locus erat in Conradi Marii consulis, patronique mei aedibus. Vbi [845R] post multa impedimenta et mercatorias in conficiendis rationibus (cuius artificii ne nunc quidem magnum vsum habeo) ludificationes (videbantur enim et illi discessum Lutetia meum, sed paulo occultius et vrbanius, quam vos Basilienses, vlcisci velle) negotio meo confecto, acceptaque quae debebatur pecunia, non ampliore, quam vnde annum meis sumtibus mediocriter possem viuere, iter in patriam instituebam. Sed Xystus Betuleius Ioanni Bapt[istae] Hainzelio, cuius familiaritate et patrocinio, vt et fratri Pauli Consulis (Danielem enim et ipsum mihi fauentem, mors immatura intercepit) me iam per complures annos vti, ex aliis meis scriptis, qui volet, cognoscet, me in vrbe esse indicarat, qui me inuitato, cum sororio suo Io[anne] Heinr[ico]

<sup>1</sup> quae nihil habebat fundamenti von Reiske ausgelassen.

<sup>2</sup> conueniente ergänzt von Reiske.

<sup>3</sup> Caudournae] Randbemerkung in H: Kauffbeuren.

Herbardo, vt suspicor, egerat, vt is quoque me ad prandium vocaret. Quo peracto, inter varia, quae mecum loquebatur, inieco sermone, quidnam consilii haberem? meque respondentem, in patria velle curare valetudinem, et circumspicere conditionem mihi aptam, hoc ille audito, haec vtraque, inquit, h̄c sine tuo sumtu consequi poteris. Delector enim consuetudine doctorum. Ego vero eam fortunam non aspernandam ratus, me ad eum conferebam, ibique Epicteti conuersionem inchoabam. [2] Interim et Richardus Morisinus Regis Angliae Eduardi VI legatus, mea praesentia cognita, me summa humanitate et liberalitate prosecutus, in Angliam ad Suffolciensem ducem erudiendum, luculento stipendio, honorificaque conditione ablegaturus erat. Verum et voluntati illius et commodis meis (etsi hoc incertum est, talibus Britanniae temporibus breui consecutis) fata scilicet obstiterunt. Dum enim haec ipsa tractantur, princeps adolescens e vita excedit, nec multo post per internuntios quosdam ad Io[annem] Iac[obum] Fuggerum, cui Demosthenem dedicaram, accesor. [3] Is quum me<sup>[846R]</sup>cum ageret, vt et latinis literis scribendis et curanda bibliotheca, de qua tacere, quam pauca dicere praestat, atque alibi a me nonnulla <sup>[57H]</sup> dicta sunt, <operam<sup>1</sup>> sibi nauarem, quod voluit (quorsum enim ea<sup>2</sup> quae intercesserunt, prolixe commemorem, quum<sup>3</sup> e Luciani opere περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, peti pleraque possunt?)<sup>4</sup> impetravit, etsi (verum vt fatear) animo meo nonnihil alienato et adhuc offenso, quod non is fuerit inscriptionis laboriosissimi operis et praestantissimi oratoris euentus, quem expectaram. Sed ita erat in fatis scilicet, ne dicam, in fatuis. Nam cum ex me quaereretur, quantum numerari pro nauanda opera mihi vellem, respondi, me de<sup>5</sup> parandis opibus non laborare, honesto victu et amictu contentum. Nescire autem, quae ratio sumtuum huius vrbis esset, quam vbi cognouisse, rectius tum posse statuere. Interim me rem heri permittere liberalitati. Stultum hoc responsum approbatore (si modo approbator, non subsannator ille fuit) non caruit. [4] Cuius enim vecordiae fuit de comparando aduersae valetudini et ingrauescenti aetati viatico, mature non cogitare? Quasi vero exploratum esset, me in illa familia, ὥσπερ ἐν πρυτανείῳ, σίτησιν perpetuo habiturum. Agnito itaque errore meo, quamuis petenti pecuniam, daretur, quantum vellem (volebam autem non nisi quantum necessitas exigebat) primo seruitutis anno elapso, petii decerni mihi centenos coronatos, nec sine offensa heri, quum initio bona cum gratia plus licuisse (omnia enim difficilius impetrare solet, qui principio sibi defuit, suique iuris esse desiit) centenos taleros obtinui, cum hac appendice, si quid decederet, heri liberalitatem mihi non defutaram, qua semel tantum sum vsus, florenis 60 petitis ad vestes comparandas. [5] In eo igitur munere 6 integrō annos et amplius versanti, etsi pecuniae nihil accessit, tamen

---

<sup>1</sup> operam ergänzt von Reiske.

<sup>2</sup> ea Reiske: eae H.

<sup>3</sup> quum] quae Reiske.

<sup>4</sup> possunt?)] possunt,) H: possunt) Reiske.

<sup>5</sup> de korrigiert aus non H.

Fuggeranae [847R] familiae singularem humanitatem sum expertus, ita vt mihi omnium aedes paterent, et omnia comitatis officia supra meritum et dignitatem meam praestarentur. Eo tempore etsi studiis parum loci erat (nam et conuiua procerum et circumiectationes et conficiendorum indicum occupatio multum mihi temporis auferebant,) Isocratem Graecolatinum et Demosthenem accuratius recognitos edidi, Aeschinem praeterea oratorem, et commentarium Astrologicum, et Historicum Zonaram et Choniaten conuerti, qua de re paulo post. [6] Caeterum si et patronus meum ingenium diligentius inspexisset, et ego illius liberalitate vti scissem, vtrisque rectius consultum fuisse. Studebat ille me hominem politicum efficere ingenio meo repugnante (*Nαι*<sup>1</sup> Δια γὰρ, Lacon ille aiebat, ἔνδον τι ἔμενει δεῖ) et ad aulicas dignitates promouere. Sed cum scholasticam meam simplicitatem ei rei minus idoneam, voluntatemque abhorrentem ab aula cerneret, atque homuncio quidam scarabeo nigrior, nullas non et extenuandae doctrinae meae, et mores exagitandi machinas ex inuidia et aemulatione clanculum moueret, quem vnum in frequenti familia obtrectatorem habui (quod quidem hactenus rescierim) quum initio summam erga me benevolentiam simulasset, necessaria quidem omnia liberaliter etiam absens praebenda mihi curabat, in caeteris non magnificare me videbatur, adhibebat tamen suae mensae propter aliquam nominis mei celebritatem. In eo splendore ita mecum agebatur, vt de Lacedaemoniis scribit Aristoteles, quos ex semisse tantum beatos esse ait, quod cum reliquis imperent, ipsi pareant mulieribus. Sic ego epulas quidem lautas habebam, sed quia herus abstemius vix odorem vini ferre poterat, plerumque Neccaricum acetum aqua probe dilutum apponebatur, stomacho meo atque intestinis inimicissimum. Quod [848R] tam<sup>2</sup> diu ferre sine interitu nullo modo potuissem, nisi (vt antea dixi) [58H] nuce muscata et aliis medicamentis ventriculum subinde refouissem. [7] Quod si occasione animaduersa, vti foro potuissem, facile impetratus fui, vt et οἰκοσίτω esse mihi, et confectione indicum, (quae maioris laboris erat quam ingenii) via semel demonstrata, mandata<sup>3</sup> amanuensi, codices graecos manuscriptos, quorum ingens thesaurus, vt et hebraicorum, bibliotheca illa continetur, partim perlegere, partim conuertere, partim graece edendos curare licuisset. Quod illi, viro natura liberali et magnifico et laudis gloriaeque<sup>4</sup> cupidio, adeo graue futurum non fuisse, certo persuasum habeo, vt magnam etiam ab eo gratiam fuerim initurus. Sed quod Aristophanes Cleoni, acerbo scommate, tribuit, id ego, etsi non sine dolore et pudore, omnino tamen fateri cogor, me et saepissime fuisse et fortassis etiam nunc esse Προμηθέα μετὰ τὰ πράγματα, oblatasque occasiones vel non perspicere, vel amittere, easdemque amissas frustra desiderare. [8] Vnde factum est, vt herus defuncta priore

---

<sup>1</sup> Ναι] Num *H*, *Reiske*.

<sup>2</sup> tam korrigiert aus tum *H*.

<sup>3</sup> mandata *Reiske*: mandataque *H*.

<sup>4</sup> gloriaeque korrigiert aus gloriosum (oder gloriosi) *H*.

coniuge, Vrsula Harrochia,<sup>1</sup> egregia Heroina, (quam vnam, quod probitate mea et doctrinae fama delectabatur, marito tamdiu retinendi mei autorem fuisse credo,) paulatim occasiones quaerere coepit, mei honeste dimitendi. Ac in ea re pene biennium est consumtum, cum quidem saepius haud obscure animaduerterem, me minus esse gratiosum, tum propter sumtus, quos rationibus suis ita postulantibus minuere studebat, tum propter Nigrini, quem dixi, crebras et clandestinas atque etiam aliquando apertas, sed iocorum specie praetextas mei criminationes. Huius enim rei magnas occasiones habent, qui excrementa Louis intuentur, et thus atque myrrham olere existimant. Eundem aliquando dicere memini: in quem alieni corporis morbi atque vitia [849R] magicis artibus transferrentur, ei nullis remediis succurri posse, mihiique nescio e quibus prognosticis, non certe Hippocratis, praedicere, fore, vt omnium membrorum vigor, si non vsus, eriperetur. In quo vtinam ille<sup>2</sup> φευδόμαντις fuisse, nec ego alienam intemperantiam<sup>3</sup> saepissime luissem. Nullum certe quidem totius corporis membrum vel internum vel externum scio, in quo non mali aliquid habuerim, vel habeam, vel metuam, siue id mea genesis portendat, siue γοητικὰ κακοτεχνίαι conciliarint, siue ratio corporis atque aetatis apportet. Sed quia salebrosus hic locus est, et suspicionum atque offensionum plenus, ex eo eluctati ad viam planiorem et minus impeditam properemus. [9] Hoc statu rerum Io[annes] Doreschwanus, vetus Fuggeranae familiae procurator, quum ingrauescente aetate se in libertatem<sup>4</sup> vindicasset, reque familiari in Neosolio Pannoniae inferioris castello, frui decreuisset, animi gratia, Constantinopolim et Amaseam vsque Cappadociae vrbem, Strabone alumno celebrem excurrit, indeque reuersus Zonara et Choniate, quos dixi, secum allatis, Antonio Fuggero autor fuit, scriptores diu desideratos mea opera graece latineque in publicum edendi. Factum id est mense Decembri anni 1555, adiunctusque<sup>5</sup> mihi Hieremias Martius, nunc Augustanus Physicus, tum adolescentulus ingeniosus et manu eleganti, qui et graeca describeret, et conuersionem meam cum iisdem coniungeret. Haec vtraque facilius impetrata fuerunt,<sup>6</sup> quod Ludouicus Carinus cum apud [59H] alios complures viros illustres, tum apud Fuggeros, quorum plerosque instituerat, gratiosus, id institutum, suo suffragio comprobarat. Ita conduplicabatur mihi labor, quum et bibliothecam curarem, et hero a latinis epistolis essem (etsi ea non magna erat occupatio) et interpretem agerem operis eo difficilioris, quod nec caracteribus exoticis, nec [850R] monastico dicendi generi, in graecis oratoribus, philosophis, poëtis versatus, assueueram. Neque vero hoc in loco

---

<sup>1</sup> Harrochia] Harrachia Reiske.

<sup>2</sup> ille] illae Reiske.

<sup>3</sup> intemperantiam korrigiert aus intemperiem H.

<sup>4</sup> libertatem korrigiert aus liberalitatem H.

<sup>5</sup> adiunctusque korrigiert aus adiunctisque H.

<sup>6</sup> fuerunt korrigiert aus fuit H.

volo esse prolixior, quum si quis volet, reliqua e Byzantinae historiae praefationibus possit cognoscere.

[XXIII,1] Anno fere post, Augustino Myllero Syndico huius vrbis, mortuo, qui cum collegae eius, Scholarchae reliqui, operam meam, ad docendas graecas literas expetissent, solus aduersatus fuerat, quum diceret: (id quod omnino verum fuit,) Matthiam Schenckium, eadem omnia, quae a me expectarentur, praestare et posse et velle, mecum actum est per Io[annem] Hainzelium, id quod fere biennio ante Gereo<sup>1</sup> Sailer medicus obscurius tentarat, vt singulas horas quotidie graece docerem. Persuasum enim fuerat Scholarchis ab obtrectatoribus et aemulis, primarium scholae gubernandae non esse parem, quum ille vel audisset ex illis, offensionem eius cauentibus, vel suspicaretur, me<sup>2</sup> collegam sibi datum, vt parte laborum aliqua leuaretur. Post multas autem disceptiones et heriles iniurias (quum enim famulum eo tempore non haberet,<sup>3</sup> mea opera plane seruiliter abuti cooperat, egoque indignabundus, me ista facturum esse diutius negaram) res eo deducta est, vt 300 florenorum stipendio et in schola reformanda, et docendis graecis literis, et curanda atque ornanda bibliotheca, Augustanae Reipublicae, operam meam in quinquennium promitterem, quod haud grauatim feci, ignarus in quantum calumniarum et<sup>4</sup> aerumnarum pelagus praecipitarer.

[2] Recognosco igitur et hīc τὴν προμήθειαν, τὴν Ἐπιμηθέως, τὴν οὐκ ὀλίγα βλάφασαν. Nam quum publica lectio decerneretur, curandum fuit, vt non in classe triuiali sed publico in loco, minore contemtu, docerem. Prouidendum fuit, ne mutatio hactenus obseruatae rationis et subita nouatio in multorum odia et criminationes incurreret, deprecanda offensa<sup>5</sup> inspectio[851R]nis classium (quis enim ignorat τοὺς ἐργοδιώκτας, si in ministros improbos et ignaos inciderint, praeter odium nihil quaerere?) et offerenda illius loco conduplicata docendi opera. Postulanda fuit separatio doctiorum, qui me audirent, a rudioribus. Quos quamuis perpaucos, seorsim a me erudiri et in grauioribus argumentis Demosthenicarum et Ciceronianarum orationum exerceri, et ambitionem et ciuium et hospitum ostentatione quadam doctrinae, praeclarique conatus, excitari, <praestabat,> quam ista accomodatione ad captum rudiorum, quae mihi mandata fuit, spem et expectationem multorum frustrari et studia restinguere. Ἀρχομένου γὰρ ἐργον, κατὰ Πίνδαρον, τηλαυγές εἶναι τὸ πρόσωπον ἔδει. Quae si non omnia, pleraque tamen aut obtinuissemus initio, aut alio nos contulissemus, quum receptus honesti non [60H] deessent. Fuissent et diuersae quorundam voluntates et obliqua consilia animaduertenda.

[3] Verum et publica autoritas, et noui instituti praeclara species, et concessum literis

<sup>1</sup> Gereo] Gedeo Reiske.

<sup>2</sup> me Reiske: ne H.

<sup>3</sup> haberet] haberem H, Reiske.

<sup>4</sup> et korrigiert aus et in H.

<sup>5</sup> offensa korrigiert aus offensionis H.

fruendi otium, inter labores, quos facile ferrem, et stipendium vnde honeste possem viuere, ita praestinxerant<sup>1</sup> oculos<sup>2</sup> meos, easque animo meo tenebras obduxerant, vt horum nihil prospicerem, sed prona, plana, expedita, cum publico fructu et mea laude coniuncta fore omnia somniarem. Etiam verecundia impudenter, ne refragari sine periculo impudenter, et nimium <mihi> arrogare viderer, quum ministri munus esset, non prescribere dominis sed ex eorum prescripto administrare omnia. Praesertim, cum senator quidam, aedilem tunc agens, in os mihi, sed quasi per iocum ειρωνικῶς dixisset: Tu Wolfi nobis altam scholam instaurare instituis, sed istud domini mei (sic enim Academias vocant, et de sese senatores loqui solent) non patientur. [4] Ac locum non esse Academiae in vrbe, maxima ex parte quaestui et voluptati seruiente, satis [852R] prouidebam.<sup>3</sup> Sed si multorum annorum lucubrationibus partam quantulamcunque doctrinam communicandi cum pluribus negatam occasionem prospexitsem, aliud fortasse consilii mature cepissem, nec pauci homines docti, indignati sunt, meum ingenium in his puerilibus rudimentis velut obsolescere, atque animum obtorpescere. "Εστι γὰρ οὐδέποτε, οἷμαί (inquit Demosthenes,) μέγα καὶ νεανικὸν φρόνημα λαβεῖν μικρὰ καὶ φαῦλα πράττοντας· ὥσπερ οὐδὲ καλὰ καὶ λαμπρὰ πράττοντας, μικρὸν καὶ ταπεινὸν φρονεῖν. Όποιοί ἄττα γὰρ ἀν τὰ ἐπιτηδεύματα τῶν ἀνθρώπων ἦ, τοιοῦτον<sup>4</sup> ἀνάγκη καὶ<sup>5</sup> φρόνημα ἔχειν. Quod si mihi nunc post 14 annorum balbutiem in doctiore et frequentiore auditorio dicendum docendumue esset, ne me turpiter darem, profecto vererer, non quod vel mediocris cognitio rerum bonarumque artium, vel extemporalis facultas dicendi magnopere mihi desit (etsi memoriam nonnihil hebescere sentio) sed quia periculum esset, ne vt Ciceronianus Scipio, referrem oculos ad terram identidem, humique potius reperem, et in Augustano Phrontisterio, me pueris β καὶ α λέγειν opinarer. [5] Nunc certe quoties praegentili mihi hospites eruditii (quod saepius fit quam vellem) interueniunt, vehementer me et mei et auditorii pudet, ac doctiores adolescentuli huc profecti, me semel atque iterum auditum fastidientes, discedunt statim, conquerentes tam pueriliter docere Wolfium. Quod mihi, nisi loqui parietibus malim, facere plerumque necesse est, quum raro vel mediocria ingenia mihi contingent, et maior pars vincat meliorem. Vnde factum, vt multa e bonis conquisita autoribus inter praegendum repudiarim, iisque chartis laceratis, commentarioli mei Ciceroniani et Isocratici, non vna eademque via progressi, pluribus in locis sint iusto breuiores et tenuiores, multaque [61H] receperint, indigna for[853R]tasse quae imprimarentur, sed tamen non inutilia, vel eo nomine, vt moneant adolescentulos, perperam eos facere, qui non

---

<sup>1</sup> praestinxerant] perstrinxerunt *H*: perstrinxerant *Reiske*.

<sup>2</sup> oculos korrigiert aus animum *H*.

<sup>3</sup> prouidebam] praeuidebam *Reiske*.

<sup>4</sup> τοιοῦτον korrigiert aus τοιούτων *H*.

<sup>5</sup> καὶ] καὶ τὸ *Reiske* (nach Demosthenes, *Orationes* 3,32).

dicam ICti<sup>1</sup> et Medici, sed Dialectici et Oratores euadere studeant, fundamentis Grammaticae non fideliter iactis, quibus quicquid superstruxerint, vt ait Fabius, futurum sit, vt corruat. [6] Caeterum illo tempore Zonarae et Choniatae conuersione defatigatus, in Thermas ferinas, non tam valetudinis ergo, quam requiescendi et insidias euitandi, quas vitae meae parari suspicabar, studio fui profectus, indeque sub idus Augusti, natalem meum, huc reuersus in aedes Huldrichi Fuggeri, qui iam antea, communem victum vltro mihi liberaliter obtulerat, immigravi. Quo in loco tametsi affatim omnia necessaria praebebantur, et singularis erat heri ipsius erga me humanitas, tamen δι' ἀταξίαν οἰκονομικήν καὶ ὑπουλά τίνα, quae quinto<sup>2</sup> anno post, quod sane dolui et doleo adhuc, in neruum eruperunt, haud scio, plusne rei familiari meae splendor ille <in>commodarit (minimum<sup>3</sup> certe quidem pecuniae in illis aedibus comparsi, ac potius pene omnis inter manus mihi, nescio quomodo, euanuit) an valetudini ac Philosophiae nocuerit. Intercedebant etiam nonnunquam offensae, partim ob criminaciones hominum nequam (ne quid grauius dicam) partim ob libertatem meam importunas quasdam παραδοξολογίας pari importunitate refutantem. [7] Anno tandem 1562 Sept[embri] mense per calamitatem hospitis, et praeter expectationem meam, nec sine multis difficultatibus quasi in libertatem sum assertus, conductaque domuncula hinc inde oberrans cibi capiendi causa, tandem anno sequente paruam oeconomiam institui, cui quantumuis frugali, propter extraordinarias expensas complures, quas multis necessitudinibus implicatus, vel tollere vel minuere satis honeste non possum, stipendum meum initio par esse non po[854R]tuisset, nisi aliunde aliquid accessisset. Et quidem diuina prouidentia factum esse arbitror, vt generosus et magnificus vir Carolus Villingerus conuersionem Suidae a me efflagitatam ducentis florenis<sup>4</sup> remuneraretur, et 50 aureis Augustana Respublica ob inscriptionem commentarioli in Ciceronis officia, me donaret. [8] Ita factum est, vt et aes alienum vitarem, et statum meum qualemcumque pristino more tuerer vsque ad annum 1566, quo elocatio neptis Vrsulae Straussiae, quam D. Ioannes, collegae mei Matthiae Schenckii F[ilius], Norimbergensis Physicus, in matrimonio habet,<sup>5</sup> cui quadrantem pecuniae meae doti dixeram, res meas imminuit, effecitque, vt expensae reditus superarent, paruaque spes esset, redintegranda summae 800 florenorum,<sup>6</sup> quibus vna centuria decessit. Sed hac de re [62H] parum labore, modo viuenti nihil desit, haeredes ea quae superfuerint, gratis animis accipere debebunt, maximis a me parta laboribus et defensa. Neque enim vllum esse opificem arbitror, qui eadem laborandi pertinacia vsus (parsimonia tamen adhibita, quae mihi defuit) sublato

<sup>1</sup> ICti korrigiert aus ICtos H.

<sup>2</sup> quinto] quarto H, Reiske.

<sup>3</sup> incommodarit (minimum Reiske: commodarit (nimirum H.

<sup>4</sup> florenis Reiske: florinis H.

<sup>5</sup> habet] habuit Reiske.

<sup>6</sup> florenorum Reiske: florinorum H.

omni festorum et profestorum discrimine, οὐδ’ ἔορτὴν ἄλλο ἢ τὸ τὰ δέοντα πρᾶξαι  
 ἡγησάμενος, non maiorem fructum cepisset industriae suae. Potuissem et ego fortassis,  
 si et ad rem attentior ac tenacior fuisse, et in cognatos ac pauperes minus contulisse,  
 nec in bibliothecam, qua per seruitutem et typographias parum frui mihi licuit, amplius  
 1000 florenos coniecisem, genus mercis minime lucrosum, aliquid comparare et  
 reculam meam nonnihil exaggerare. [9] Verum illa ita esse collocata, me non poenitet.  
 Qua enim alia delectatione ἀνθρωπος ἀγαμός τ’ ἀγονός τ’ ὥν et, vt Epictetus Diogenem  
 appellat, ἀπερίστατος, animum recreassem, nisi libris si minus legendis, certo tamen  
 ordine digerendis, fuisse occupatus? Is [855R] ordo qui sit, si forte quaeris, non  
 grauabor propter studiosos adolescentulos aliquid de eo quoque dicere, paulo tamen  
 altius repetito consilio meo. Somniaui perpetuo (quo enim alio verbo vtar, quum ea spes  
 somnio fuerit inanior?) me locum aliquando vel in Academia celebri, vel in gymnasio  
 frequentiore et eruditiore habiturum. Quam ad rem bibliotheca et varia et copiosa mihi  
 opus esse putabam, vt quodcunque vel disciplinae vel autorum genus interpretandum  
 mihi assignaretur, in eo explicando cum fructu adolescentiae quam vberrimo, et cum  
 aliqua approbatione industriae meae versari possem. [10] Ita factum est, vt bibliotheca  
 mea paulatim aucta, ad eum numerum excresceret, vt in 10 distinctas classes tribueretur,  
 Theologos, ICtos, Medicos, Philosophos (his suum instrumentum Dialectica est  
 adiunctum, vt et caeteris scriptoribus commentarii) Mathematicos, Philologos,  
 Historicos, Poëtas, Oratores, Grammaticos, qui Lexica, Nomenclaturas, Observations,  
 Elegantias et id genus alia, praeter ipsius artis scriptores, continent. In his compingendis  
 opera data est, vt non nisi eiusdem generis libelli coniungerentur, et si qui olim vel ex  
 imperitia vel morae taedio male compacti fuerant, diuellerentur, quae res aliquo sumtu  
 mihi constitit, et libellos nonnullos aliquantulum deformatum. Illud vero mallem me  
 accuratius obseruasse, vt maxim<a><sup>1</sup> quosque et chartae et literae codices  
 comparassem, matureque oculorum aciei, vt leones vnguibus suis feruntur, pepercisse.  
 [11] Sed nec semper e copia delectum agere licuit, et multos bonos autores graecos  
 maxime, atque ab Aldo Manutio expressos, in alienis bibliothecis legere et excerpere  
 quaedam, sum coactus, quod nec veteris editionis exempla restant, et qui eosdem velint  
 recudere, pauci sunt, tarda maxime distractione [63H] deterriti, ob verè  
 philoso[856R]phantium et Ciceronis exemplo, cum latinis graeca ad suam vtilitatem  
 coniungentium, paucitatem. Decem oratores, Pausaniam, Commentarios<sup>2</sup> Hermogenis,  
 κέρας Ἀμαλθείας, epistolas graecas, Rethores antiquos, Platonis et Aristotelis  
 interpretes, alia complura praeclara monimenta, quotusquisque est in nostra Germania,  
 qui vel habeat, vel pretio tolerabili parare possit? Ego quidem etsi iam ante in hoc  
 genere fui pene prodigus, et aetate ac laboribus defatigatus, ne nunc quidem antiquos et

<sup>1</sup> maximae Reiske: maxime H.

<sup>2</sup> Commentarios korrigiert aus Commentaria H.

probatos autores mihi deesse paterer, si venales reperirentur, etsi valetudo nummis  
 parcendum esse, subinde insusurrat, et temporum difficultates monent, τῶν περιπετειῶν  
 τῆς<sup>1</sup> τύχης aliquam habendam esse rationem, vt si alio demigrandum sit, nec sarcinis  
 impediamur, nec viatico destituamur. [12] Sed et haec Deo curae erunt (quid enim, si  
 magna congesta pecunia cura, vel fraudatione, vel incendio, vel latrocino pereat?)  
 neque Midas quicquam auri secum ad inferos detulit, neque egestas viros sanctos veteris  
 memoriae coeli aditu prohibuit, et ego, quacunque hora et genere mortis e terris  
 euocatus fuero, plus in iis relinquam post me, quam in easdem detuli. Faxit Deus  
 Opt[imus] Max[imus], vt veram poenitentiam et fiduciam diuinae misericordiae  
 indubitatam, quae summae Christiani hominis et vnicae opes sunt, mecum asportem.  
 Cuius voti me fore compotem vt credam, non mea bonitas, quae nulla est, sed clementia  
 seruatoris nostri I[esu] Chr[isti] facit. Optauit ab aetate ea, quae iudicii aliquid habere  
 coepit, non voluptates, non opes, non honores, sed mentem sanam in sano corpore, et  
 felicem ex hac vita emigrationem, quae vel vna, vt prioribus caruerim, abunde me  
 beabit. [13] Nam huius quidem vitae eam suavitatem sum expertus, vt si optio daretur,  
 et si tertium nihil restaret (quod dictu nefas est contra Prophetarum, Apostolorum, ipsius  
 Chri[857R]sti affirmationem) Epicuri ψυχοκτονίαν, Pythagorae siue μετεμψυχώσει siue  
 μετενσωματώσει longe anteferrem. Itaque saepius nocturno tempore, coelo sereno  
 aeternam illam domum (vt Cicero loquitur) et siderum diuinum splendorem intuens, et  
 cogitare soleo, et amicis dicere: si semel ascendero, nullum mihi Pythagoram, nullam  
 Pandoram persuasuram, vt denuo descendam, ac sitim potius toleraturum, (etsi nec siti  
 nec fami nec vlli miseriae aut inopiae locus est apud superos) quam Letheum poculum  
 vel primoribus labris degustaturum. [14] Nihil in terris habeo, non hominem, non rem,  
 non spem, quae vel vnam horam suis vinculis aut illecebris me remoretur, contraque  
 fere omnia, quae morti alacriter occurrentum esse hortentur, corpus mutilatum et  
 fractum et eneruatum multis morbis, multis casibus, perpetuis laboribus et doloribus,  
 fortuna pene omnibus conatibus meis pertinax aduersatrix, labores et aerumnæ  
 frequentes, infidae<sup>2</sup> et insidiosæ amicitiae, ingenium tenue et exhaustum, ipsaque aetate  
 languidum, inuidi et obtrectatores lucubrationibus si non plures, quam grati lectores et  
 candidi aestimatores (hoc enim puto vere dicere posse neminem, quum sciam  
 lucubrationes meas a plurimis cum applausu et gratulatione suscipi, honestissimisque  
 elogiis doctissimorum [64H] quorundam virorum celebrari) multo certe plures et  
 acerbiores, quam vellem, somnus, qui stultos cum sapientibus et infelices cum fortunatis  
 exaequare dicitur, quemque tranquillum, et somniorum expertem omni felicitati  
 humanae Socrates anteponit, aliquando nullus, plerumque breuis, frequenter interruptus

---

<sup>1</sup> τῆς korrigiert aus τοῖς H.

<sup>2</sup> infidae] insidiosæ Reiske.

et turbulentus, quique corpus vigiliae debilius fere et aegrius reddat, quam acceperit,<sup>1</sup> id quod in morbis Hippocrates instantis mortis esse praesagium asserit, Theophrastus autem<sup>2</sup> Paracelsus strigum ludibriis et intempe[858R]jiis expensum fert. Neque haec in aetatem ingrauescentem referri debent, cum iuuentus atque ipsa adeo adolescentia non multo fuerint meliores. Itaque non vitae suauitas in vita me retinet, sed diuina voluntas, et nefarium facinus de statione diuinitus assignata, iniussu imperatoris, deceendi, et expectatio maioris et sincerioris contemplationis diuinarum rerum, h̄ic inchoandae, illic perficiendae. [15] Mortis quidem horrore me percelli nonnunquam vehementius, si negem, mentiar, non eò quod vitae finis sit, sed quod sanctissimo tribunal iuinae iustitiae sistat omnes, in quo quis innocentia sua confidat,<sup>3</sup> cum simus omnes nocentissimi,<sup>4</sup> impiarum cogitationum referti, sermonibus futilibus et improbis inquinati, omni flagitorum et scelerum genere constricti, bonitatis omnis expertes? Tantum enim abest, vt heroicae illae virtutes, Fides, Spes, Charitas in nobis luceant, vt ipsius naturae scintillae reliquae in plerisque extinctae esse videantur. Quae qui attentius considerat, seculo animo quo pacto esse potest? Quare peropus est, et omnibus aliis rebus anteuerendum, vt in portum misericordiae, per I[esum] Chr[istum] promissae, mature configiamus, eiusque vnius fiducia et intercessione nos sustentemus. [16] Haec igitur vna, mihi quidem, formidandae mortis causa est, quum vita per se vilissima sit, et multos ac diuturnos cruciatus saepe tolerarim, ipsa morte vt existimo (nec enim affirmare possum, quod expertus non sum. Sed tamen conjectura e multis capi potest, qui lenissime veluti obdormiscunt<sup>5</sup>) grauiores atque acerbiores, nec male scripsisse videtur Erasmus, non tam ipsam mortem, quam viam atque aditum ad mortem, h[oc] est, tormenta morborum et angores animorum, esse grauem atque formidabilem. Quod autem accuratiore diaeta et exquisitis pharmacis fatiscens<sup>6</sup> corpusculum, tanquam male materiatam et ruinosam [859R] domum quasi fulcris et tibicinibus quibusdam sustento, id non fit diuturnioris vitae amore, sed maiorum cruciatuum timore, quos siue corporis siue animi sint, summum esse malum, nemo, vt opinor, expertus negauerit, quicquid otiosi et somniis suis beati philosophastri quidam contra et sensum communem et experientiae consensum et sacrarum literarum autoritatem garriant. [17] Sed his omissis, ad scriptiones meas, propter quas potissimum<sup>7</sup> commentariolus hic institutus est, redeo. Cum ergo in Fuggerana Bibliotheca Demosthenem et Isocratem recognouissem, Aeschinem, commentarium Ptolemaicum, Zonaram et Choniaten conuertissem, reliqui

---

<sup>1</sup> acceperit] acceptit *Reiske*.

<sup>2</sup> autem] vero *Reiske*.

<sup>3</sup> sua confidat] sua consistat *H*: suo confidat *Reiske*.

<sup>4</sup> nocentissimi, *Reiske*: nocentissimi? *H*.

<sup>5</sup> obdormiscunt] obdormiscant *Reiske*.

<sup>6</sup> fatiscens korrigiert aus fathisceus *H*.

<sup>7</sup> potissimum] potissimam *Reiske*.

labores steriles fuerunt et ingrati, sed duo posteriores, alter monachus, semibarbarus alter, (extat enim in Augustana Bibliotheca Choniates vsitata tum dialecto, qui plurima verba et phrases barbaras, mihi non intellectas habet, nec a me conuerti potuisset, nisi alias quispiam (Alexander Chartophylax Byzantinus, vt opinor,) paraphrasin eam, quae edita est, conscripsisset,) [65H] liberalitate graecae eloquentiae parentes, qui<sup>1</sup> praeter verba iejuna et inania, quamuis ornata et splendida, nihil dederant, magno interuallo vicerunt, et fundamentum peculii mei iecerunt, numeratis a patrono in singulas paginas florenis<sup>2</sup> singulis, quae summa excreuit ad florenos<sup>3</sup> CCCLXXII. Pro qua remuneratione quum quidam patrono singularibus verbis gratias a me actas in praefatione legisset, suspicatus me plane ab illo deauratum, et annuis reditibus, vt Franciscus Rex Galliae solitus fuit, donatum, cognita summa illa, ineptias meas derisit, qui elephantum e musca fecisset. [18] Sed et per se praemium nequaquam aspernandum fuit, si nostram nationem nostraque tempora spectes, quae Camoenarum voces non eo dignantur honore, quo τὴν στρεψοδικοπανουργίαν, et meo animo, qui hacte[860R]nus non aucta sed diminuta recula mea seruisse, quique nihil nisi necessaria vitae subsidia vnquam exoptasse, maximum atque amplissimum.<sup>4</sup> Ἰση γὰρ χάρις (inquit Euripides) μεγάλοισι χαίρειν σμικρά θ' ἡδέως<sup>5</sup> ἔχειν. Nec multo post accessit munus docendi publicum, in quo adhuc versor, stipendio 300 florenorum,<sup>6</sup> de quo et modo nonnulla dicta sunt, et plura scire qui volet, legat praefationem in commentariolos Isocraticos meam, quae errore typographi (hoc enim sine cuiusquam offensa dici potest, Camarinam autem suspicionum<sup>7</sup> mouere, nec libet nec expedit) ipsi auctori, vt suo loco dicetur, praeposita est. [19] Multo autem ante Cyprianus Leouitius inspecta conuersione annua (quas<sup>8</sup> iam tum confectas<sup>9</sup> habebeam ad annum aetatis 60 vsque) subita<sup>10</sup> mihi et opum et dignitatis incrementa promitti affirmauit. Fuit autem illa huiusmodi:<sup>11</sup>

---

<sup>1</sup> qui] quae H, Reiske.

<sup>2</sup> florenis Reiske: florinis H.

<sup>3</sup> florenos Reiske: florinos H.

<sup>4</sup> quique nihil ... amplissimum] maximum atque amplissimum, quique nihil nisi necessaria vitae subsidia vnquam exoptasse H, Reiske.

<sup>5</sup> ἡδέως Reiske: ἡθέως H.

<sup>6</sup> florenorum Reiske: florinorum H.


<sup>7</sup> suspicionum Reiske: suspicionem H.

<sup>8</sup> annua (quas] annalium (quos Reiske.

<sup>9</sup> confectas] confessos H, Reiske.

<sup>10</sup> subita Reiske: subito H.

<sup>11</sup> Fuit autem illa huiusmodi und das Horoskopschema von Reiske ausgelassen. – Im Horoskopschema: ☽ 19.25. II] ☽ 19.29. II H.



Nec eum sane fefellit praesagium.<sup>1</sup> Nam sub brumam et benignus ille monachus ad conuertendum traditus est, et renouata<sup>2</sup> scholarchiae mentio, et non obscure formosae et dotatae puellae oblatum coniugium. Ac postremum hoc iudicio repudiaui, tum patris recordatione, quem saepe dicentem audieram, paucos Wolfianae familiae maritos felices fuisse, tum Carini monitu,<sup>3</sup> vitam mihi breuiorem ominantis loto illa degustata, quae λήθην καὶ τῆς φιλοσοφίας homini μονογράμμῳ καὶ παρακμάσαντι allatura esset, duo priora post multas aerumnas et afflictiones biennio demum post ratum effectum habuere, et radices amarissimas nonnulla<sup>4</sup> fructuum suauitate pensarunt. Nam dum in Byzantina historia dies noctesque labore, solitasque deambulationes intermitto, magnam stomachi debilitatem [66H] sensi, etsi ea fortassis ascribenda<sup>5</sup> est potius ποτηρίῳ τινὶ, οὐ νηπενθεῖ<sup>6</sup> μεμιγμένῳ. Sed haec et alia id genus plurima, satis est, ac plus satis me exhausisse et diuino praesidio ac antidotorum vi, praesentem pestem [861R] saepius euasisse, τοὺς ἄλλους δὲ τὰ τοιαῦτα πολυπραγμονεῦν τι δεῖ, ἐμοὶ δὲ ἡ γλῶσσα δέδεται.

[20] Biennio itaque post suscepta graecae linguae professione, et scholae emendatione, cum ipso natali meo die ab Huldricho Fuggero honorifice et magnifice in aedes susceptus, ac potius pene raptus ac pertractus essem, per aliquot dies scholae Annaeae

<sup>1</sup> praesagium] opinio Reiske.

<sup>2</sup> renouata] renouatae H, Reiske.

<sup>3</sup> monitu] monitum Reiske.

<sup>4</sup> nonnulla korrigiert aus nonnullae H.

<sup>5</sup> ascribenda] adscribenda korrigiert aus ascribenda H; adscribenda Reiske.

<sup>6</sup> νηπενθεῖ Reiske: νηπενθῆ H.

classibus (quae tum 4 erant, nunc 7 factae sunt adiuncto, sed vacuo fere auditoribus auditorio,) perlustratis<sup>1</sup> et docendi descendique rationibus obseruatis, magistratui consilium meum exhibui, in quo me fateor, Mich[aelis] Toxitae ac in primis Io[annis] Sturmii libellis, ea de re editis, fuisse adiutum, etsi minimam illorum partem ad institutum accommodare licuit, eoque ab omnibus quorum aliquid intererat, approbato, Riuianum opus de tribus dicendi artibus in scholam introduxi, paulo post et ab eorum ipsorum nonnullis, quorum suffragium accesserat, et ab aliis, miris calumniis exagitatum, impactumque mihi crimen impietatis, vt qui Christum e schola eiecerent, in qua magistratus, qui eam communem omnibus ciuibus esse vellet, varietate opinionum distractis,<sup>2</sup> sacra doceri<sup>3</sup> noluerat, exceptis Christianae religionis primis elementis, sine vlla interpretatione tradendis. Putabant enim, quum et Euangelici et Catholici suos quique publicos doctores haberent, quemlibet suos liberos, ab vtris mallet, instituendos facile curaturum. Sed in deteriore partem rapere calumnia solet omnia, quae uis<sup>4</sup> ad criminandum causa grauis est, ad excusationem aut defensionem, ne iustissima quidem vlla quicquam valet. [21] Non tamen ita multo post studiis quorundam effectum est, vt minor Catechismus Lutheri Germanicus classicis pueris ediscendus proponeretur. Alterum autem illud, quod iidem tentarant, non successit, vt Ann<a>eae<sup>5</sup> scholae non nisi Euangelici scholarchae darentur. Quo et ego cri[862R]mine imprudens inuolutus, dum eorum autoritatem sequor, per quos ad hoc munus ascitus fueram, principum quarundam ciuitatis familiarum iniquissima odia suscepit, quae me diu grauiter presserunt, et verendum, vt vel nunc bene sarta sit gratia. Plumbeas enim (inquit <ille> apud Plautum) iras plerique gerunt, si offenderis. Sin quid bene feceris, gratia pluma est leuior. [22] In quo multis nominibus mihi fit iniuria. Nam et consul erat, qui subscriptionem a me flagitaret, et suffragatores senatorii ordinis non paucos habebat, quam tamen, a Matth[ia] Schen<c>kio<sup>6</sup> collega meo, admonitus, deprecatus fui, et de inferioribus tantum scholarchis, qui de molestia illius muneris subinde conquerebantur, idque per occupationes obire [67H] vix ac raro admodum poterant, agi putabam, neque supplicationem fraudi cuiquam fore existimabam, ignarus occultarum machinationum et factionum. Sed horum nihil mihi profuit, quo minus nonnulli omnia et dicta et facta mea in deteriore partem, iam antea non admodum aequi mihi, nescio quibus de causis, fortasse παρρησία et praeteritione solemnum titulorum, quibus in familiis Fuggeranis non assueueram, offensi, raperent, et clanculum<sup>7</sup> frigidam suffunderent, et Dauos

<sup>1</sup> perlustratis korrigiert aus perlustratus H.

<sup>2</sup> distractis Reiske: distratis H.

<sup>3</sup> doceri korrigiert aus docere H.

<sup>4</sup> quae uis] cui quae uis Reiske.

<sup>5</sup> Annaeae] Anneae H, Reiske.

<sup>6</sup> Schenckio] Schenkio H, Reiske.

<sup>7</sup> clanculum korrigiert aus calumniat- H.

quosdam in me concitarent, qui turbarent omnia. Erat etiam vnuſ, qui quum aliquando in conuentu, quem vocant, exposuissem, quid a vetere domino, qui ex superioribus scholarchis non postremae autoritatis erat, in mandatis accepissem, indignaretur, quasi ille monarchiam sibi vsurparet, remque publicam inutili et superuacaneo sumtu onerasset. Id autem ad me pertinebat, quem ab illo scholae obtrusum esse, etiam alii dictabant, vt cum bona gratia et honorifice me ex familia, vt Homerum Plato e rep[ublica] sua dimitteret. [23] Haec et alia multa in hac χολαρχίᾳ μᾶλλον ἡ σχολαρχίᾳ et deuoranda mihi et concoquen[863R]da, vel inuito et nauseante stomacho, fuerunt. Quae si praescissem, nihil suaue meritu, vt ille apud Comicum ait, fuisse, ac quiduis potius subiissem, natura et vitae instituto laboris honesti, quam iniuriae et contumeliae patientior. Saepe igitur poenituit, non in Montem Borussiae regium abiisse, magis etiam doluit, cum Cyprianus nomine sui principis, Ottonis Henr[ici] Electoris, 300 thaleros et victum aulicum obtulisset, me fidem meam iam tum et Ant[onio] Fuggero et Augustanae reip[ublicae] obstrinxisse, ac ne Bernensis quidem et Argentinensis ciuitatis liberalitate vti potuisse. [24] Ita seruitus, praeter alias difficultates, quas secum affert, etiam fortunae melioris occasionem eripit incautis ac potius infortunatis hominibus. Quis enim qui per se statum rerum suarum tueri posset, libertatem vel toto, vt ille ait, auro venderet?<sup>1</sup> Quantum molestiae est homini studioso, valetudinario, officioso in amicos seruire horologio tanquam tyranno, intra vna moenia tanquam ergastulum concludi, vnde non nisi ambitiosis precibus impetrata venia vel vnum diem abesse liceat?<sup>2</sup> Sed nec soli nos ii sumus, quibus minime contingant<sup>3</sup> optata, et facessant ista, descripta ab aliis, vt opinor, quae<sup>4</sup> ego malim obliuione sempiterna deleri. [25] Illud praetereundum non est, cum anno seruitu<ti>s<sup>5</sup> scholasticae 4<sup>to</sup> fere exacto requirerem e scholarchis, num opera mea diutius vsuri essent, et illi moram ex<sup>6</sup> mora necterent, ego ludibrio me haberi ratus, Argentinam ad D. Hauenreuterum sacram meam anchoram configiens, quaero nunquis mihi locus in ea schola esse posset. Qui cum rescriptsisset, locum quidem vacare nullum, sed scholarchas extra 200 flor[enos] in annos singulos mihi numeraturos, modo ne quid nouarem, nec bene constituta conuellerem, vnde quum appareret, me nonnullis nescio cur (neque enim vel natura mea, [864R] vel consuetudo fert, quicquam vti curem nisi res meas: τό τε σωφρονεῖν τοῦ πολυπραγμονεῖν πολὺ κρείττον ἥγονμαι) suspectum esse, ἐπείχον καὶ διεσκεπτόμην: tandemque omissis iis, qui me subinde, siue de industria, siue fortuito differebant, accessi D. Christoph[orum] Peutingerum, duumuirum (horum enim munus est ministros et conducere et missos

---

<sup>1</sup> venderet? *Reiske*: venderet, *H.*

<sup>2</sup> liceat?] liceat, *H*: liceat. *Reiske*.

<sup>3</sup> contingent] contingunt *Reiske*.

<sup>4</sup> quae] quam *H*: quanquam *Reiske*.

<sup>5</sup> seruitutis *Reiske*: seruitus *H*.

<sup>6</sup> ex korrigiert aus et *H.*

facere) et supremum scholarcham, cum quo ita re transacta sub horam matutinam sextam, vt ego operam meam Augustanae scholae addicerem, vicissim respublica Augustana etiam valetudinario semissem stipendi annui numeraret, trihorio (vt Plautus loquitur) post afferuntur mihi ab Hauenreutero meo literae, quibus et doctissimi viri Gerardi Seueni<sup>1</sup> obitus significabatur, et omnia quae postularem rata fore promittebat, et enixe [68H] hortabatur ac rogabat, vt primo quoque tempore me Argentinam conferrem. Quid dicam, quid animi mihi fuerit? Fatendum certe est, Argentinae in frequentia doctorum <degere>, vbi<sup>2</sup> et quos docerem et discerem plures<sup>3</sup> quam hīc habiturus fuisse, me longe maluisse. Sed quid facerem?

Fata obstant nigraque palus innabilis<sup>4</sup> vnda.

Quem euentum cum in mensa herili exposuissem, quidam homuncio facetus, tacentibus caeteris, linguae latinae ignarus exclamauit, FATVE, cuius vocis plus millies mille de causis sum recordatus, eumque numine afflatum eam elocutum existimaui. [26] Sed his et huiusmodi de rebus nihil dicam in reliquis, nisi narrationis series et postulet et flagitet. Praetermittam etiam valetudinis et fortunarum incrementa et detrimenta, breuiterque ea quae supersunt, perstringam, quae ad lucubrationes meas pertinent. Nec enim schola me vlla nobilitat, ac potius haec nomini meo caliginem offundit, ac tenebras obducit, sed typographia tua, Oporine, secernit populo, quam et [865R] Venetae et Lutetianae et Lugdunenses et Augustanae certis interuallis secutae sunt. [27] Dum ergo in aedibus Huldrichi Fuggeri dego, excudendum curaui Riuanum opus cum nonnullis additamentis et meis et aliorum, a Philippo Vlhardo Augustae anno 1557, si recte memini, aut certe 58 inito,<sup>5</sup> quo et dialogus de vsu Astrologiae prodiit. Commentarios Ptolemaicos, et Porphyrianam Isagogen in Fuggerana Bibliotheca conuersa, edidit Basileae Henricus Petri, cum Hermete de Reuolutionibus anno 1559, quorum, ob infinitas deprauationes me interpretem perhiberi puduit. Eodem anno et Nicephorum Gregoram absolui non tam praemii cupiditate, quod 100 florenorum<sup>6</sup> fuit, quam metu offensae patroni, qui minus alacriter illam prouinciam suspiciens semel in os dicebat, me nimis esse locupletatum. Et quidem fateor me Croeso ditiorem mihi tum visum, qui et communem cum Fuggero victum haberem, et stipendum publicum et aliquot iugera siluularum, quae post fratri florenis<sup>7</sup> 125, quanti mihi in herciscunda familia aestimata fuerant, addixi, et 300 florenos<sup>8</sup> in peculio.<sup>9</sup> Verum erat illud non

<sup>1</sup> Seueni] Seueri *H*, *Reiske*.

<sup>2</sup> vbi *Reiske*: vt *H*.

<sup>3</sup> plures korrigiert aus pluresque *H*.

<sup>4</sup> innabilis] inamabilis *Reiske* (nach Vergil, *Aeneis* 6,438).

<sup>5</sup> inito] initio *Reiske*.

<sup>6</sup> florenorum *Reiske*: florinorum korrigiert aus florenorum *H*.

<sup>7</sup> florenis *Reiske*: florinis *H*.

<sup>8</sup> florenos *Reiske*: florinos *H*.

<sup>9</sup> peculio] poculo *H*, *Reiske*.

fastidium neque socordia sed studiorum amor, quibus aliquando perfrui cupiebam. [28] Cum autem minutos characteres<sup>1</sup> graecos in splendida charta ad lucernam maxima ex parte perlegerem atque verterem, acies oculorum, siue illa, siue alia occultiore de causa, non multo post ita hebetata fuit, vt vendenda adamatae bibliothecae consilium caperem. Sed ea primum ab Hier[onymo] Fuggero deinde ab Argentinensi schola et Ortemburgico Comite Ioachimo repudiata fuit, et ea quoque spes, quam Henr[icus] Husanus, Megalopyrgensis Cancellarius in Spirensibus comitiis mihi fecerat, ob diuturnum eius silentium labascit. Itaque nunc etiam ea florenis<sup>2</sup> 700 prostat, quum mihi amplius [69H] 1000 constiterit, et haud facile ab [866R] vlo vel 200 additis parari possit, auctis omnium rerum pretiis. Ea nunc oneri potius quam honori mihi est, quum ea vti parum libeat, tali auditorio, et quae valetudo mea est, vel vnu liber, inter alias occupationes, toto anno a me vix perlegatur. Atque vt coniicio, ne haeredes quidem meos magnopere iuuabit, fratre filiis orbo, caeteris indoctis, idque foeminis. [29] Gregoras igitur oculos mihi potius hebetauit, quam loculos refersit, vt Zonaras stomachum debilitarat. Accessit, ne vlla calamitas sola esset, proscriptio nominis mei pontificia, qua factum reor, vt editio illius in annum 1562 differretur, ac post obitum patroni demum publicaretur. Vedit tamen id opus Ferdinandus Imperator manuscriptum, et appendice praefationis delectatus, me dissimulanter per magistrum equitum Iaroslau[m]<sup>3</sup> Berestainum calice aureo Ioannico (vt vocant) elegantissimo, nec exigui pretii donauit, quem ego Ludouico Oetingensi Comiti dedi, quo commendatores haberet sorores meas. Fuissem et eiusdem Imperatoris propensa voluntate in Latinos secretarios receptus, nisi Berestainio eidem me sorte mea contentum esse, quod ille (siue simplicitatem meam subsannans siue τὴν αὐτάρκειαν admirans,) rarae cuiusdam Philosophiae esse dicebat, significassem. [30] Eodem anno 1562 hospitis mei fortunis afflictis, cum Hispanus nihil solueret, et ipse vrgentibus creditoribus ac fratribus potius custodiretur, per aliquot menses hinc inde cibi capiendi causa vagatus, tandem conducta ancilla οἰκόσιτος esse coepi, vt supra attigi, quum quidem τοῦ παρασιτεῖν iam pridem taedium me graibus de causis coepisset, nec hospes et patronus missum facere vellet. [31] Anno secuto tandem Epicteti omnia opera, forma 8<sup>ua</sup>, nec multo post commentariolos in Officia Ciceronis tu<sup>4</sup> forma media caractere pereleganti excudisti. His continenter successit Suidas Latinus [867R] folio oblongo, calamitoso ac pestilenti tempore et a me versus et a te excusus mendozissime, vt multa loca nec ipse intelligam sine graecis. Nocuit scilicet Saturnia illa lues non corporibus tantum, sed voluminibus etiam nostris. Verum hanc tandem secuta sunt Saturnalia καὶ ἀνθιστήρια totius biennii,

---

<sup>1</sup> characteres] characteres H, Reiske.

<sup>2</sup> florenis Reiske: florinis H.

<sup>3</sup> Iaroslau[m] Reiske: Iacoslaum H.

<sup>4</sup> tu] tu, Oporine, Reiske.

quo ἡσύχῳ ποδὶ in Isocraticis et Demosthenicis annotationibus elaborauit. Anno vero 1566 cum Francofurti, quo vt et antea, bis ab hero veteri, commercandi libros ergo, missus fueram, negares te mihi intra triennium vacare posse, et comitia hīc de expeditione Turcica agerentur, putabam, Isocratem, belli barbarici perpetuum autorem, ei deliberationi maxime idoneum scriptorem, senatoribus magnorum principum offerri commodissime posse. Verum typographus nostrās praesentis lucelli audior, dum quasuis nugas meae lucubrationi interponit, editionem [70H] eo vsque distulit, dum comitia finirentur, nec sibi minus quam mihi incommodauit, quum mendorosus ille et parum elegans libellus adhuc iaceat, nec inueniat emtorem. Inscriptio autem mea Caesari quem habuerit euentum, alibi est expositum. [32] Tuae porro literae, quibus nouos typos et omne ornandi operis studium offerebas, siue fraude mercatoris, siue malo fato quopiam nostro, toto biennio post et amplius mihi redditae fuerunt, quum iam graecolatinum illud chaos, et rudem atque indigestam molem excudendam nescio quibus dedisses. Satis enim apparet, correctorem illi et preli gubernatorem Oporinum defuisse. Male etiam me haberet commentariorum praetermissio, quos vnā cum autore, anno 1567. 9 Apr[ilis] in ipso fere solaris eclipsis articulo perferendos ad te dederam, nisi te, mi Oporine, anno sequente 3 Nonas Iulii non ita multo ante e quarta vxore Faustina Amerbachia patrem factum, fata nobis eripuissent, et a tētērimis harpyis libe[868R]rassent. [33] Fuisti tu profecto Hercule et aerumnosior et fortior, et plura in rempublicam literariam beneficia quam ille in terrarum orbem, contulisti. Sed de tanto viro, et suapte industria, doctorumque hominum monimentis clarissimo, tacere praestat, quam pauca dicere, tantaeque causae patronus adhibendus est Theodorus Zwingerus Doctor Medicus, vir non illa tantum, quam profitetur, arte paeclarus, sed et philosophica scientia, et oratoria dicendi facultate excellens. Nam Andr[eas] Iociscus noster non multo post illum secutus, vellem luculentum argumentum copiosius atque ornatus tractasset. Addam tamen et ipse, ne plane ἀσύμβολος esse videar, breue distichon:

Πᾶσαι<sup>1</sup> Ὁπωρινοῦ μνημῆια βιβλιοθῆκαι,  
Σῶμα δὲ κεκυηκὸς σῆμα<sup>2</sup> τόδ' οἶον ἔχει.

De eodem κατὰ προσωποποίαν ad foeneratores, cum allusione<sup>3</sup> ad Arionem ipsius:

Iam teneo portum: piratica turba valeto.

Non habet in coelis factio vestra locum.

Praedones audi, Plutonia regna subite,

Illa<sup>4</sup> queunt vestram<sup>5</sup> pellere sola famem.

<sup>1</sup> Πᾶσαι] Πᾶσα Druck 1569.

<sup>2</sup> σῆμα] σῶμα Druck 1569.

<sup>3</sup> allusione Reiske: allisione H.

<sup>4</sup> Illa Reiske: Ille H.

<sup>5</sup> vestram Reiske: vestrum H.

Me Delphin meus Eridani peruerexit ad vndas,  
Nectare et Ambrosia cum Ioue Diisque fruor.

[34] Genethliacon autem Immanuelis filii et Graeco Stephano περὶ πόλεων ipse adiiciendum curauit, tamen quia nostrae aetatis ambitio et auaritia graecam fidem magis quam graecas literas amat, quid vetat etiam hīc adiicere? vt id oī μισέλληνες (si qui horum forte haec legent) si non legere saltem aspicere vel inuiti<sup>1</sup> cogantur.

Ιωάννη Ὁπωρινῷ Ἱερώνυμος Βόλφιος,  
συγχαίρων τῆς εύτεκνίας.  
Τηλύγετόν σοι ἔδωκ’ ἐπὶ γήραος εὐρύοπα Ζεύς:  
<Ον σὺ ἀριπρεπέως Ἰμμανουὴλα καλεῖς.  
Ἐστιν ὁ παῖς τετρασύλλαβος: ἐσσὶ δὲ τετράγαμος σύ,  
Ὄν τετράγωνος ἀεί: καὶ ψόγος οὐχ ἔπεται.  
Νικητήν σε τύχης ἀρετὴ σοφίη τε ἔθηκαν:  
“Η τε πάλ’ ἀντίπαλος σύμμαχος ἥδη ἔφυ.  
“Ως τὰ Θεοῦ ποτε δῶρα πολὺν χρόνον ἐν νεφέεσσιν  
Κρυπτόμεν’ ἡελίου λαμπρὸν ἔδειξε φάος.  
Λάμψοι Ὁπωρινῷ, καὶ ἀκοίτιδι ἴμεροέσσῃ,  
Σοί τε, φίλ’ Ἰμμανουὴλ, Φοῖβος ἀεὶ καθαρός.<sup>2</sup>>

[35] [869R] Huius obitus, candide lector, praeterquam quod veteri et constanti amico priuauit, in multas etiam turbas me coniecit, ob rixas typographorum,<sup>3</sup> cum Episcopius meas lucubrationes iure societatis, Gemusaei nomine successionis sibi vendicarent, atque interim illas neutri excuderent. Ac iacerent illae adhuc, vti reor, nisi eiusdem Zwingeri singulari fide, et liberali opera, etiam Lud[ouico] Carino, quantum extrema sinebat aetas (nec enim multis mensibus interiectis Oporinum secutus, praeter superiora beneficia, quae alibi celebraui, μνημόσυνον sui 50 florenos<sup>4</sup> in argenteum<sup>5</sup> poculum conferendos mihi legavit) suffragante, et adiuuante, tandem perfectum esset, vt Oporiniani Isocratem retinuissent, Ciceroniana et Demosthenica Herwagiani sibi vendicassent. [36] Anno itaque superiore Eusebius Episcopius primum commentariolos in Officia, Catonem, Laelium, Paradoxa, Somnium Ciceronis, deinde specimen Demosthenicum edidit, non sane speciosum. Quod eo factum est, quod codices mea manu correctos vel ipse ab aemulis, in quorum potestate illi erant, petere, vel hi vtendos

<sup>1</sup> vel inuiti korrigiert aus vel inuiti vel H.

<sup>2</sup> Ον σὺ ... καθαρός von H und Reiske ausgelassen; ergänzt nach dem Druck 1568. Anstelle der ausgelassenen Verse findet sich in H und bei Reiske der Hinweis: etc. Steph. p. 387. ad calcem.

<sup>3</sup> typographorum korrigiert aus typographicas H.

<sup>4</sup> florenos Reiske: florinos H.

<sup>5</sup> argenteum Reiske: argentum H.

ei dare noluerunt. Sunt et scholia graeca<sup>1</sup> marginum me nesciente atque inuita adiecta, dictione quae mihi non satis probetur vbiique. [37] Hoc demum anno 1570 quo haec scribo, nundinae vernae et Gnomologiam Demosthenicam, Aeschineam et Vlpianam obiter inter ipsos autores relegendos excerptam, congestamque potius quam digestam, aut iudicio adhibito limatam et auditoribus meis ad conuertendum datam, atque Isocratem cum Commentariis post multas tergiuersationes et longam desperationem, attulerunt tandem, sed haud magna cum delectatione mea. Nec enim scio, quomodo factum sit, siue obliuione siue alio consilio typographorum, contra voluntatem certe meam et mandatum<sup>2</sup> factum est, vt praefatio[870R]ne ad Caesarem vna cum versiculis eiusdem argumenti praetermissa, ea quae ad Commentariolos pertinet, ipsi autori peruersissime preeponeretur. Quod alienum peccatum ego statim dependi, acceptis ex aula Caesarea literis, quibus mihi leuitas grauiter obiicitur, tempestiue citata Platonica sententia, ὅτι οὐ πρέπει τό γε καλῶς δοθὲν ἀφελέσθαι. Deinde quia praefatio ad scholarchas μεμψίμοιρα quaedam habet, quae nequaquam eo animo scripta, (neque enim ita insanio, vt vel innocentes traducere vel potentiores lassessere instituam) fortassis aliqui ad imminuendam existimationem suam referent, ominose admodum, in ipso vestibulo operis caetera, vt opinor, haud contemnendi, quodque auspicatissimum esse cupiebam, est coll<oc>ata,<sup>3</sup> et prima lectori obiecta, qui eam alioqui in medio codice q[uasi] delitesceret, non attigisset. [38] Sed nec expostulando et conquerendo proficitur<sup>4</sup> quicquam, et haec res eo se commodius habet, quod Io[annes] Crato, Caesareus consiliarius, et medicus intimus, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων patronus et defensor contra obtrectatores mihi contigit. Nam ipsi quidem Caesari non tantum otii esse puto a rebus tot regnum atque imperii, vt has ei nugas aspicere libeat, nisi importune obtrudantur, nec ego illius Maiestati id opus denuo ingessisse, sed existimationis meae, patronum eundem retinere, interesse existimau. Quod idem consilium cur in prioribus patronis mutarim, [72H] graues ac iustae causae fuerunt, ipsorum voluntas, quam studiis fratri et amicorum Christoph[ori] Fabii Iulii et Christoph[ori] Herdessiani IC. ex eo cognoui, qui talia curare solitus fuit, nec obscure tulit, quanti merces istas faceret, et ὁ προσφωνούμενος et ratio temporum. [39] Nam qui me ex typographiis et ex inscriptionibus lucubrationum mearum auream metere segetem suspicantur – vtinam non insignem mihi ficerent iniuriam. Oporinus [871R] enim quoad vixit, nullum mihi teruncium vnquam dedit, quamuis non deessent, qui aurum pollicendo me ab illo ad se traducere conarentur. Sed mihi et grati animi officium et amicitiae fides auro et priuatis emolumenit, vt debuit, fuit antiquior. Libros quidem complures vltro misit, quos<sup>5</sup> grato

<sup>1</sup> graeca] graecorum *H. Reiske*.

<sup>2</sup> et mandatum von *Reiske* ausgelassen.

<sup>3</sup> collocata *Reiske*: collata *H.*

<sup>4</sup> proficitur] proficio *Reiske*.

<sup>5</sup> quos] quod *Reiske*.

animo accepi, quia<sup>1</sup> sine suo incommodo illa mihi mittebat. Quod autem aliquam sumtuum, quos in tabellarios et amanuenses in tot annorum caritate feci, non exiguos, compensationem petii ab iis, qui illi successerunt, quis potest mihi iure vitio vertere? Nam nec vlla antehac necessitudo inter nos intercessit, et quibus ex rebus fructum illi capiunt, eas mihi esse fraudi, quis aequum censeat? Quasi vero liberalitatis non sit gratis tot labores cepisse, nisi etiam rei familiaris iacturam fecero. [40] Ac ne sic quidem quicquam ab illis exegisset, nisi domesticae difficultates me solito attentiores ad rem reddidissent, et fraudationibus et occultis rapinis compilatum, et neptis elocatione exhaustum, et quotidianis sumtibus non paruis ob afflictam valetudinem, et varias necessitudines oneratum. Patronorum autem munera (Ant[onium] Fuggerum et Car[olum] Villingerum excipio, quibus mercenariam<sup>2</sup> locaui operam, ab illo 472 pro Byzantina historia, ab hoc 200 florenis<sup>3</sup> ob Suidam acceptis) et remunerations aliorum pro donatis libris (vt de vecturae sumtibus et bibliopegorum mercedibus nihil dicam) tanta ac talia fuerunt, vt conduplicato pretio a nemine mediocri notario vel simplicis descriptionis impetrandae spem haberem. [41] Gloriolae autem praemium quale et quantum est, quod his 20 annis a Demosthene primum edito accessit? Non tanti profecto, vt operae pretium fuerit vel vnum mensem lucubrare. Quod si sapuisse doctoris insignia potius, vt complures facere non incallide <vidi><sup>4</sup> homines, statim a prelo mercatus, maiore cum autoritate vel aulicum agere, vel quod nunc opto ma[872R]gis, quam spero, per otium philosophari potuisse. In hac quidem vrbe, quanti vulgo fiam, plerique norunt. Si quod autem in scholis et bibliopoliis nomen habemus, quis ex eo fructus ad nos rediit, nisi vt scribendis et legendis fucosis magna ex parte literis bonum tempus male conteramus? Quid dicam de tot Momis? Quid quod <nobis<sup>5</sup>> ponti[73H]ficio fulmine percussis,<sup>6</sup> nostroque nomine cruentis inusto literis, si in aduersariorum manus incideremus, per cruciatum et summam contumeliam sanguis et vita profundenda esset?<sup>7</sup> Hem tibi praemia τῆς βιβλιογραφίας. [42] Iam quid molestius accidere potest homini φιλολόγῳ καὶ φιλαναγγώστῃ quam in tanta supellecile vtriusque linguae autorum, et omnium pene disciplinarum varietate, legendi otium non habere? Id vero mihi rarissime contigit, atque adeo quum anno superiore Demostenem, Aeschinem, Vlpianum cum annotationibus meis, sub Nonas Dec[embris] absoluisset, meque omni molestia defunctum putarem, collatis inter se 5 codicibus, Aldino veteri, Manutiano, Herwagianis duobus, Feliciano uno, qui me plus caeteris omnibus iuuit,

<sup>1</sup> quia korrigiert aus quod H.

<sup>2</sup> mercenariam Reiske: mercenarium H.

<sup>3</sup> florenis Reiske: florinis H.

<sup>4</sup> facere non incallide <vidi>] facere non incallidi (korrigiert aus incallide) H: fecere non incallidi Reiske: vidi Ergänzung Wilfried Stroh.

<sup>5</sup> nobis Ergänzung Wilfried Stroh.

<sup>6</sup> percussis korrigiert aus percussus H.

<sup>7</sup> esset?] esset. H, Reiske.

adiunctis etiam Obsopoei castigationibus et coniecturis meis, eruditis (si quid gloriosule dicendum est) et sagacibus, Lutetiani Demosthenem suum, quem per integrum Zodiacum annorum parturierant, tum demum pepererunt, cum meus partus, complurium annorum doloribus eo vsque perductus, iam prelo subiiciendus esset. Itaque imposta mihi necessitas est iactationem illam 8 manuscriptorum codicum ingenti taedio deuorandi, eodemque tempore, Isocratis, prelum adhuc redolentis, quia id a me typographi postulabant, relegendi et corrigendi. Quorum vtrunque<sup>1</sup> afflita valetudine et inter quotidianas et ordinarias et extraordinarias occupationes, quadrimestri spatio confeci, conuersis iis etiam, quae Vlpiano et annotationibus accesserant, et adjuncto Augustano codice. Ve[873R]rum haec in prooemio graecolatini Demosthenis, vt et illud, cur extremam lucubrationem illam Augustanae reip[ublicae] inscribere et voluerim et debuerim, commodius exponentur. [43] Quanto autem inter haec otio abundarim, quibus voluptatibus diffluxerim, intelligent ii, qui paucas vtriusque autoris paginas euoluerint, quum in singulos mihi apices fuerit inquirendum. Et tamen quem horum laborum fructum feram: θεῶν ἐπὶ γούνασι κεῖται. Basilea longe absum, et aliās alias chartas eō misi, quas ordine inter sese conferendi nulla potestas fuit, et incertum est, qualium hominum consiliis pareat typographus, quorum operis vtatur. Qui si quid peccarint, in me illa cudentur faba, statimque in promtu erit maleuolis: Hem tibi 15 codicum<sup>2</sup> correctionem. Hem Wolffi partum elephantinum. Ego<sup>3</sup> vero gloriari posse videor, si meae castigationes et annotationes emendate impressae fuerint, me illam cum 8 illis παλαιοῖς ἀντιγράφοις non commutaturum. Vlpiani alia ratio est, cuius deprauationes non omnes a me sine aliorum exemplarium collatione potuisse corrigi, quis miretur? ac non miretur potius tot potuisse? Integros autem versus et clausulas integras addere, non grammatici sed Esdrae cuiusdam fuerit,<sup>4</sup> qui ignita potionе exhausta vetus Test[amentum] ex memoria restituisse perhibetur. Sed haec, vt dixi, huius loci non sunt, et suo tempore, si vitam mihi ad id vsque [74H] tempus propagarit<sup>5</sup> Deus, commodius explicabuntur. [44] Interim me Ioach[imi] Camerarii πολλῶν ἀνταξίου ὅλων siue praeiudicium siue augurium consolatur et delectat, qui non ita pridem αὐτολεξεὶ sic ad me scripsit. Lucubrationes tuas Demosthenicas aueo atque gestio videre, feroque moleste editionis moram. Nam quod tu mentionem facis humiliorem operaे tuae, id moderationis tuae est. Quemadmodum autem antea, ita nunc etiam,<sup>6</sup> quid praestitum sit, αὐτὸ δηλονότι δείξει. Tu modo fac quamprimum tuis [874R] laboribus frui bonarum

<sup>1</sup> vtrunque] vtrunque korrigiert aus vtrunque H: vtrunque Reiske.

<sup>2</sup> codicum korrigiert aus annorum H.

<sup>3</sup> Ego korrigiert aus Eo H: Eo Reiske.

<sup>4</sup> fuerit korrigiert aus fuit H.

<sup>5</sup> propagarit korrigiert aus prorogarit H.

<sup>6</sup> etiam korrigiert aus est H.

artium<sup>1</sup> studiosis concedatur. Τοσαῦτα μὲν οὖν ἐκεῖνος ὁ τῆς φιλοσοφίας πένταθλος, ὃς, ἔξ απαλῶν ὄνυχων φιλοσοφεῖν ἀρξάμενος, ἔτος ἄγων ἥδη τὸ τρίτον πρὸς τοῖς ἑβδομήκοντα, ὀξυνοίᾳ τε καὶ πασῶν αἰσθήσεων ἀκριβείᾳ πολλῶν τῶν ἀκμαζόντων τὴν ἡλικίαν διαφέρει,<sup>2</sup> ἄξιός γε ὅν (εἰ τοῦτο θέμις ἀνθρωπον εὔξασθαι) ἀγήρως τε καὶ ἀθάνατος γενέσθαι. [45] Caeterum illud haud iniuria nunc a me quaeri possit, cum neque gloriam spectem, neque fructum ex tot editionibus aliquo nomine dignum capiam, quae<sup>3</sup> me agitent intemperiae, vt a vorsando isto Sisyphio saxo non desistam? Respondeo paucis, non scribendi cacoëthes insanabile me tenuisse vnquam, scriptorem factum esse per calamitatem, scriptorem mansisse hactenus fatuo quodam meo atque infelici fato. Quae reprehendi audieram, quoties noua editio<sup>4</sup> adornabatur, corrigere cupiebam, et facere meliora. Adhaec tanta erat apud me Oporini, vt tanti viri praeclara erga me voluntas atque merita postulabant, et gratia et autoritas, vt nec petenti quicquam denegare possem, nec hortanti refragari auderem. [46] Ita factum, vt 6<sup>tum</sup> sit editus Isocrates, Demosthenes 4<sup>tum</sup> nunc sub prelo sit. Officiorum commentarioli bis <excusi sunt>, vt et Byzantina historia, in qua Galli nescio quid se correxisse profitentur, me, vti par erat, nequaquam in consilium adhibito. Legendi spatium nondum contigit. Sed si quando contigerit, legam, et ἐξεταστικῶς legam, atque ipsas fortassis correctiones corrigam. Visa autem editione Gregorae Nicephori,<sup>5</sup> cuius inscriptioni haec verba sunt addita: adhibita prius cum graeco diligenti collatione,<sup>6</sup> qua certe non pauca fuerunt emendata: versus hos ex tempore, animo commotiōre effudi potius quam scripsi:

Si mea corrigis: vnde data est tibi tanta potestas?

Si mea corrigis: esse notata errata decebat.

[875R] Si mea corrigis: esse probata errata decebat.

Quid si deprauas temerarius haud male versa?

Quid si gloriolam sine re, vanissime, captas?

[75H] Heus libros censeto tuos: mea scripta relinquens

Expolienda mihi, quem longior erudit vsus.

Vnus Aristarchos<sup>7</sup> omnes superauit Homerus.

[47] Reliquae conuersiones semel editae sunt, Epicteti, Suidae, Commentarii Ptolemaici, Astrologicum item, 4 Ciceroniana opuscula, specimen<sup>8</sup> et Gnomologiae Demosthenicae. Quae si quando relegere potuero, singularum editionum et mea et typographica errata peculiari libello consignabo. Quod vt non fiat, cessando parum

<sup>1</sup> artium] litterarum Druck 1583.

<sup>2</sup> διαφέρει] διαφέρων H, Reiske.

<sup>3</sup> quae Reiske: quo H.

<sup>4</sup> editio korrigiert aus occasio H.

<sup>5</sup> Nicephori korrigiert aus Nazi- H.

<sup>6</sup> collatione] collocatione Reiske.

<sup>7</sup> Aristarchos korrigiert aus Aristarchus H.

<sup>8</sup> specimen] specimen editionis Reiske.

detrimenti fiet. [48] Atque haec hactenus de vitae meae et studiorum ratione, in quibus quae praetermissa sunt, è praefationibus et annotationibus meis, si cui libitum fuerit, facile depromet. In quibus equidem vellem pauciores esse μεμψιμοιρίας καὶ περιαντολογίας, minus etiam multa ἐπὶ κολακίᾳ ὑπόπτα. Quae si talia visa fuerint, sciat lector, me aut aliorum praedicatione aut spe atque opinione mea esse deceptum, aut seruire tempori, necesse habuisse. Illud addendum est, me et in scholis dictasse plurima, et priuatim tam versu quam prosa, siue (vt quidam dicendum putant) vorsa et pro<r>sa<sup>1</sup> oratione conscripsisse, quorum si quid me vel viuente vel mortuo fuerit editum, id minime Wolfianum habendum. Nam si digna<sup>2</sup> quae diuulgarentur iudicassem, eam prouinciam aliis non reliquissem. Quis autem nescit, qui aliena scripta venditent, quam et deprauata mutilataque<sup>3</sup> edere, et quam alienos centones assuere soleant? Quare studiosos adolescentes et monitos et rogatos volo, vt praeter eas, quas recensui, editiones, et si quid forte posthac editum ferit<sup>4</sup> cum praefatione mea, nihil esse meum arbitrentur.

[XXIV,1] Scripta haec sunt nono Calend[as] Decembbris anno 1570, quo ipso die lapsus in glacie dextrum femur et cubitum grauiter allisi, nondum satis recreatus e<sup>5</sup> casu cum vitae periculo coniuncto ante [876R] dies 28 e loco superiore facto. Molesta est lithiasis καὶ αἰμουρία, molesta in tanto frigore sitis, molesti humores in manus et pedes distillantes,<sup>6</sup> vt fert imbecillis stomachus et hepar male affectum, καὶ τὸ φοβερὸν γῆρας, οὐκ ἐρχόμενον μόνον. Qua de re idem Camerarius, ex literis (inquit) tuis ad Cl[arissimum] V[irum] D. Henricum tuum missis, intelleximus, te quoque minus commode valere. Ἀλλὰ τὰ ἡμέτερα ἥδη τοιαῦτά τιν' ἔστιν, ὥστε συνεχοῦς θεραπείας δεῖσθαι: τῶν νόσων οὐχ ὑγιαζομένων, ἀλλὰ συναποθνησκουσῶν, [76H] κατὰ τὸν Ἰπποκράτη.<sup>7</sup> Ἐπικούφισις δὴ ζητητέα τῶν ὀδυνῶν, τοῦ κακοῦ ἥδη διὰ τὴν ἐμφιλοχώρησιν ἀνηκέστου ὄντος. Quae dum verissima esse videantur, iamque pridem, non sanationis tantum, sed etiam longiusculae vitae mihi<sup>8</sup> spem ademerint, ea quae restant, diuinæ prouidentiae clementiaeque<sup>9</sup> committo, subsidio mihi comparata patientia, et spe vitae melioris ac beatæ immortalitatis, quam nobis omnibus largiatur I[esus] Chr[istus]. Amen.

---

<sup>1</sup> prorsa *Reiske*: prosa *H*.

<sup>2</sup> digna *korrigiert aus* digna est *H*.

<sup>3</sup> mutilataque *korrigiert aus* mutilaque *H*.

<sup>4</sup> fuerit *Reiske*: ferit *H*.

<sup>5</sup> recreatus e *korrigiert aus* recreatus est e *H*.

<sup>6</sup> distillantes] destillantes *Reiske*.

<sup>7</sup> Ἰπποκράτη *Reiske*: Ἰπποκάτη *H*: Ἰπποκράτην *Druck 1583*.

<sup>8</sup> mihi *von Reiske ausgelassen*.

<sup>9</sup> clementiaeque *von Reiske ausgelassen*.

[2] Caeterum omnes eos, qui de me vel scribent vel loquentur (quando tacere nolent) enixe rogo, vt et me fuisse hominem, et se non esse Deos cogitent, naturaeque fortasse non pessimae, vt foecundo agro debitam culturam et tempestates commodas defuisse. Iis autem, apud quos haec nihil valebunt, illud Euangelicum insusurrandum erit: ὅστις ἀναμάρτητος<sup>1</sup> ὑμῶν ἐστιν, οὗτος τὸν πρῶτον ἐπ' ἐμὲ λίθον βαλλέτω.

Symbolum et Epitaphium Hieronymi Wolfii.

Ἐλέησον ἡμᾶς, ὁ κύριε, ζῶντάς τε καὶ θανόντας.

Ouidius.

Quamuis est, fateor, meritis indebita nostris:

Magna tamen spes est in bonitate Dei.

Ἄδηλον.

Vna salus, seruire Deo: sunt caetera fraudes.

Omnia praetereunt, praeter amare Deum.

**Ὡ** ♀ Precatio ad I[esum] Chr[istum] Seruatorem.

Christe patris virtus hominumque benigne redemtor:

Ius pater in mundo cui dedit omne suum,

Da mihi te, quo me tibi soli tradere possim:<sup>2</sup>

Sis meus, ipse tuus semper vt esse queam.

Τέλος<sup>3</sup> σὺν δόξῃ<sup>4</sup> τῷ πολυελέω Θεῷ.<sup>5</sup>

<sup>1</sup> ἀναμάρτητος *Reiske, Michel (nach Johannes 8,7)*: ἀναμάρτικος *H.*

<sup>2</sup> possim *Crophius, Michel*: possem *H.*

<sup>3</sup> Τέλος] Θέλος *H.*

<sup>4</sup> δόξῃ] δόξα *H.*

<sup>5</sup> **Ὡ** ♀ Precatio ... Θεῷ von *Reiske ausgelassen.*